DE

# FACULTATE VERUM ASSEQUENDI

## SECUNDUM BALMESIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

**A. LECLÈRE**

EDEBANT PARISIIS

A. CHEVALIER-MARESCQ & SOCII

BIBLIOPOLÆ

20, VIA SOUFFLOT

MDCCCC

DE

# FACULTATE VERUM ASSEQUENDI

SECUNDUM BALMESIUM

DE

# FACULTATE VERUM ASSEQUENDI

## SECUNDUM BALMESIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

**A. LECLÈRE**



EDEBANT PARISIIS

A. CHEVALIER-MARESCQ & SOCII

BIBLIOPOLÆ

20, VIA SOUFFLOT

MDCCCC

ERUDITISSIMO VIRO

E. BOUTROUX

UNI E MORALIUM POLITICARUMQUE SCIENTIARUM

ACADEMIÆ XL

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS

AUCTOR.

# PROŒMIUM

Balmesii proprie philosophica opera sunt : « La filosofía elemental » et « La filosofía fundamental ». In hoc, quatuor, ut nobis equidem videtur, doctrinæ traduntur quarum summa totam philosophiam plane continet : prima enim doctrina est de hominis ad verum assequendum habilitate ; in secunda, cognitionis theoria quædam expromitur ; in tertia, fundamentales finiuntur ideæ ; quarta denique, quamquam ceteris jam quasi insita, entis metaphysica quædam est, in qua trium ceterarum maximi momenti consequentia exponuntur. Alterum vero opus nihil nisi philosophiæ compendium quoddam est, quod posterius composuit noster, in quo autem nihil novi addidit.

Verum, nobis hoc opusculum scribentibus, in animo tantum est de prima doctrinarum quas enumeravimus disserere, nec ceteris umquam alludere nisi forte hoc postulabit interdum res nostra ; imo, licet de ea doctrina in primo Balmesii operis præcipui libro unice agatur, et in operis hujus reliquis libris persæpe eadem tractetur materia, brevis esse poterit hæc nostra dissertatio. Quippe etenim eadem frequenter iterat ille neque redundantia caret ; præterea reperias apud eum nonnullas contradictiones ac pronuntiata multa ad quæ mentis impetu ductus sit nec non hispana hac consuetudine verbis sententias

quasi obruendi; at æquum nobis non videtur talia multo sermone notare; itaque, quibusnam sententiis, inter omnes quas protulerit, ipse potissimum in imo pectore adhæreat, pro nostris viribus dicere conabimur. Sententiarum quoque dispositionem apud Balmesium jure vituperes, ut ex libidine quandoque effectam : ideo in unum, quæ in ejus opere sæpius casu sparsa videntur, cohibere debuimus; sed ut vel sincerissima esset expositio nostra, balmesianas opiniones in tot partes distribuimus quot ipse sibi quæstiones proposuisset, si de hac materia tantum quæ in hoc opusculo agitur, doctrinam suam clare et logice exponere voluisset. Quotiescumque autem nihil apud eum invenimus cujus ope nostri doctrinam interpretari possemus, optimum, nostra quidem sententia, ac cum rectissimo philosophandi modo maxime congruentem sensum balmesianis verbis tribuimus : nonne hæc quoque justitia est?

Essetne in hoc opere aliqua utilitas si Balmesii opiniones tantum perlustravissemus, nec emendare tentassemus? Ne enim dicas nos ultra modum de Balmesio aut de nostra doctrina locutos esse. Balmesius enim systema quoddam effinxit quod partim veræ philosophiæ quam maxime contrarium nobis visum est, quam sine eo quod « *mentem criticam* » vocant recentes existere non posse firmiter credimus, neque quisquam alius « communis sensus » reverentior fuit, cujus opiniones ratione rejici non posse censet, dummodo ratione nostra recte utamur : eorum qui non sunt philosophi, philosophiam, ut ita dicamus, sui inconsciam, excutere tentavit. Porro, verum inquirenti cuique, quid utilius esse possit quam suam ipsius philosophiam, adversæ philosophiæ cujusdam confutatione fundare? Alia quoque multo æstimanda methodus est

quæ et ipsa nobis balmesianæ doctrinæ considerationem propter nostri utilitatem commendabat, scilicet ut diligenter ad scripta intendamus in quibus plura sunt unde alia possint evolvi quæ ipsi pro certis jam ducimus : ut enim Balmesius, in *facto* certitudinis aliquid esse putamus cujus ope probari possit suæ ipsorum rationi optimo jure homines fidere. Denique, ut alio in opere (Essai critique sur le droit d'affirmer), quænam sententia in humana intelligentia quaque, dummodo *mente critica* sit prædita, de hominis habilitate ad verum consequendum sponte nasci deberet quæsivimus, ita quænam sententia in homine « sensus communis » potius servo, de eadem quæstione sponte nasci debeat, hic quærimus. Quod vero nusquam clarius quam apud Balmesium perspicere poteramus.

Adde huc quod ipse Balmesius haud contemnendus auctor est, non quia ad vere nova fingenda aptus fuerit (huic enim doti, a Bossuetio hæreseon matri vocatæ, diffidit noster) sed quia multum a ceteris differt Scholasticis. Recentium philosophorum opera quædam perlegit, plura alia cursim evolvit, ac sæpe, quamquam invitus, a Scholasticis longe abest quorum causæ auxilium afferre volebat. At scholastica methodo aut explicationibus scholasticis recentes solvere quæstiones (quod sæpissime agit noster), nonne hæc Nova Scholastica ipsa est ? Ac re vera Balmesius pater est hujus novæ philosophiæ quæ apud catholicos, præsertim in Hispania, in Belgica et in Helvetia, vel rigidæ cuidam Scholasticæ, vel horum semi-condillacismo vel illorum semi-lockismo successit. Quod si ergo ad idearum *historiam* intendes, balmesianam doctrinam non omittendam esse reputabis, quamquam equidem maxima pars eorum qui nostrum laudant, ejus tamen

doctrinis in librorum suorum capitibus tantum alludunt in quibus « solvuntur objectiones » !

Nobis igitur, balmesianas opiniones cum scholasticis opinionibus comparare, sæpissime necessarium visum est (1), rarissimo autem de Nova Scholastica loqui. Quæ fuerit Balmesii doctrina de certitudine, de criteriis, de mentis facultatibus, de origine principiorum cognoscendi, quamnam subjectum inter et prædicatum relationem in judiciis omnibus ac peculiariter in judiciis iis quæ « *judicia-principia* » (2) vocari possunt esse senserit, quid de rationalium elementorum cohærentia et de rationis habilitate ad τὸ ens in universum cognoscendum cogitaverit, quomodo subjectivam et objectivam cognitionis objectivæ possibilitatem confirmaverit, mox quæremus. Deinde de « transcendentalis » cujusdam scientiæ impossibilitate et de eo cognoscendi modo quem « *per idealitatem* » (3) vocat, secundum nostrum loquemur. His autem perfectis, omnes eas Balmesii opiniones emendare conabimur, nec non earum auctorisque ipsius naturam propriam breviter indicare. Quæ vero in toto nostro opere philosophis hujus ætatis prodesse valeant, in fine ostendemus.

1. Non D. Thomæ tantum doctrinas sed eorum etiam qui illius philosophi discipulos sese dictitaverunt hic referemus. — Nostra scholasticæ de cognitione doctrinæ interpretatio cum illa congruit ab illustrissimo philosopho Renouvier nuper exposita, quippe cui videatur Scholasticos ad aliud quam ad mentis activitatem, scilicet ad quamdam Dei ipsius actionem, omnia quæ in mentibus humanis agantur, reducere. Cf., La Nouvelle Monadologie, 1re part., not. 34.

2. In nostro « Essai critique sur le Droit d'Affirmer », verbis « jugements-principes » frequenter utimur.

3. Cognitionis quidam modus est qui « por idealidad » a Balmesio vocatur.

## PARS PRIOR

### Balmesii doctrina de mentis habilitate ad verum assequendum.

---

## CAPUT I

### DE CERTITUDINE APUD BALMESIUM (1)

Mirum forsitan quibusdam videbitur nos certitudinem seorsum a criteriis tractasse, quod certe agere debemus, cum de certitudine in universum primo loco locutus sit Balmesius; imo, si duas hic quæstiones, non equidem duas ejusdem quæstionis partes esse jure negabis.

### § 1.

Plerique Scholastici, dogmatici magis quam ut ante

1. Verba scholastica aut jam olim aut nunc tantum usurpata nobis hic referre liceat; adhuc enim prior vivit Scholastica : Cf. omnia Scholasticæ enchyridia quæ in seminariis leguntur, quæ quidem nihil commune cum hac quam « Novam-Scholasticam » nominamus habent.

ceteras seorsum et separatim certitudinis quæstionem necessario tractandam esse censeant, numquam hanc nisi obiter tractare solent; de recentibus Scholasticis hic non agitur. Illorum vero doctrinæ, quod ad certitudinem pertinet, definitio quædam et axioma quoddam quasi præfuisse videntur. Definitio hæc est : « Certitudo est proprietas essentialis cognitivæ virtutis quæ suum ipsius finem assequitur » ; atque adhæsionis firmitatem pro subjectiva tantum facie habent cujusdam mentis humanæ *facti*, nempe certitudinis, quod a formali, vel ut ipsi nos potius dicamus, a *reali objecto* quodam segregare insanum sit. Axioma nunc tradamus : « Omnis effectus, aiunt, in sua causa aliqualiter præexistit similitudo ». Inde sequitur ut subjectivum certitudinis *factum* in ipso objectivo vero causam suam necessario habere debeat, et existentiæ perceptio, quotiescumque certos nos esse sentimus, percepti existentiam demonstret. Cum certitudinis *factum* et certitudinis pro legitima reputandæ jus unum esse credant, instinctui mentali cuidam in imo pectore præsertim fidere Scholasticos recte dicemus. Sed, cum axioma quoddam interdum afferant, nonne rationem quoque ipsam testem vocare videntur? Attamen rationi fidunt, ut equidem sentimus, quia, cum ipsi sibi fidit, instinctu quodam fulciri videtur ratio nostra. Præterea, evenit quoque ut vel ab *objectis* quæ nobis naturam præbere ipsam putant, vel a Deo suum principium sumant : tunc rerum aut Dei existentiam argumentis quibusdam demonstrandam esse obliviscuntur nec illius memoriam habent quod de nostro credulitatis instinctu docebant; rationem vero aut instinctum illum veracem esse ex eo ducunt quod ipsæ res sese manifestas nobis faciant aut ipse Deus nos idoneos ad verum assequendum creaverit.

Scholastici ergo, nunc a puro quodam credulitatis instinctu, nunc ab eo tamquam apud rationem *satisdationem* quamdam habente, nunc ab eo tamquam pro ratione spondente, nunc denique a rerum aut Dei existentia, ad Scepticorum contradicta dissolvenda proficiscuntur. Illud vero præsertim notabis, Scholasticos, etiam cum de instinctu minime cogitare videntur, instinctui tamen in imo pectore prorsus confidere et in hoc instinctu quamdam veri ipsius intuitionem esse, admittere : credunt enim ex rebus ipsis instinctus nostri motum causam quasi haurire et eam causalitatem a conscientia reapse percipi. Implicite, instinctui principem locum concedunt et explicite doctrinam profitentur quæ tota in his continetur verbis : in humana cognitione *objecto informatur subjectum.* Scholastici igitur reponi debent in numero eorum quos « rationalistas » nominamus, aut potius eorum quos gallice « intellectualistes objectivistes » proprie vocamus. Eorum autem implicita doctrina, Balmesii explicita doctrina facta est, ut mox demonstrabitur.

## § 2 (1).

Balmesius, ut recentes fere omnes, primum quærit num

1. La razon no confunde al dogmático, si no se la separa de la naturaleza, Fil. fund., I, 15. — La Naturaleza confunde al pirrónico, ya sola, ya unida con la razon, I, 15. — La Naturaleza se resiste al escepticismo de una manera insuperable, I, 34. — Nadie adquiere la certeza por acto reflejo, I, 23. — La certeza no nace de la reflexion, es un producto espontáneo de la naturaleza del hombre, I, 16. — Aceptar con una filosofía juiciosa lo mismo que de todos modos nos fuerzan á aceptar leyes de nuestra naturaleza, I, 37. — El dogmatismo es la sumision voluntaria á una necesidad indeclinable de nuestra propia naturaleza, I, 15. — Nace de la claridad de la vision

legitima sit certitudo, quousque sese extendere possit et æstimat in hac philosophiæ prima parte jam quasi necessario adumbrari quæ secutura sint, dummodo ratione et via procedere velit philosophus. Sed, ait, antequam certitudinis fundamenta persequar, aut quo modo nascatur ea inquiram, plurimum refert in hoc commorari quod certitudo *factum* quoddam sit : si enim constat nos nonnulla pro certis habere, ex eo sequitur ut impossibile sit pro vero systematum afferre quodlibet in quibus sensus communis dogmatismus omnino rejiciatur ; namque cum Scepticis, sive Pyrrhone sive Berkeleyo sive Humio magistro utuntur, sic loqui poterimus : « Vos ipsos consideretis, in quibus a naturali philosophandi modo, vester philosophandi modus tantopere differat ! Quod si, logica contempta, illud *abstractum* contradictionis principium prætermittitis, at saltem *in facto*, dummodo ad mentis ipsius vocem attendatis, systemata vestra in dubium revocetis necesse est, non autem veritates quas concutere modo volebatis ! Non ergo rationi tantum sed etiam naturæ consentaneum est in dogmatismo perseverare. Quid demum hæc significant, nisi certitudinis *factum*, intimum *factum* esse, quod quidem ex instinctu procedere constat et universalem quamdam nostræ mentalis naturæ necessitatem manifestam facere? Sed aliud quoque est

intelectual, ó de un instinto conforme á la razon, I, 14. — En la certeza primitiva, la vision es por luz directa, no necesita de reflexion, I, 14. — Decir que una cosa se puede afirmar de otra con toda certeza es lo mismo que decir : la cosa es verdadera y de esto podemos estar completamente seguros, I, 217. — Esta proposicion (lo evidente es verdadero) se funda en un iresistible instinto de la naturaleza, I, 224. — Desde el principio de las investigaciones, la filosofía y el buen sentido forman un especie de alianza, y se comprometen á no hostilizarse jamas. — Vid. peculiariter lib. I, I-III. XXXII-XXXIV.

animadvertendum : quippe etenim, si ut intimum *factum*, nulla rerum quasi contrectatio est ea certitudo, at instinctus cujusdam gratia tamen nonnullas inter cogitationes nostras a nobis sponte pro objectivis haberi nullus infitiabitur. Ne negare audeamus quæ in imo pectore negare nequimus! » Ergo, apud Balmesium, non jam includitur in credulitatis instinctu quodam ea Scholasticorum intuitio qua *fidei humanæ per res ipsas causatio* (si ita loqui conceditur) quasi percipiatur, quod equidem arbitrarium atque contradictorium valde sit ; verum, apud nostrum, in intelligentia locatur facultas quædam, quæ inconsulto motu sese de vero absoluto competenter (ut dicunt jurisconsulti) judicare necessario declarat.

Ac Balmesius huic naturali motui magnopere fidit, quo impulsi, de certitudinis nostræ optimo jure ipsi nos decretum prodamus. Quod enim extraneus mundus re vera existit, quod neque conscientia neque rationis usu decipimur, quod inductiones nostræ vitio carere possunt, quod denique de permultis quæ rationibus tamen non probantur ullis, spontaneo mentis impetu veritatem nihilominus sæpe assequimur : omnia hæc in dubium revocare non vult nec velle potest, quia omnia ea pronuntiata ad « intellectualem quemdam instinctum » refert qui, scientia et philosophia anterior, omnis sive spontaneæ sive arte et consilio excogitatæ cujuscumque sententiæ fons unicus dici debeat. Inde sequitur, ut equidem Balmesio videtur, numquam pro vero diu haberi posse quod sensus communis aversetur, scientiam nihil esse nisi perfectiorem effectum communem sensum nec errorem nihil nisi quamdam opinionem in qua diu perseverare sit impossibile. At enim, omnesne spontaneas assertiones sine discrimine accipit Balmesius ? Jusne sit, cuique fortiter credenti, se

veritatem tenere profiteri ? Non ita concludatur, respondet noster : cum enim sententiarum conflictio quædam in nobis est, ad rationem certamen deferatur, quippe cujus facultatis sit sine appellatione jurisdictio ! Rationis enim judicia ea sunt quibus suadendi virtus maxime contineatur : ejus ergo ope pax in mente redire poterit ; quin etiam, jure redibit, quando rationi potissimum confidis, si saltem tibi ipsi constare curas ; et non credendi impossibilitas, ut jam demonstratum est, unum et idem cum veri possessione est ipsa ; per se jam dogmatica est in nobis « natura », ait Balmesius, qui verbo « natura » nostras inconsultas et spontaneas assertiones, dummodo necessariæ videantur, designat ; « cum ratione conjuncta ea natura » (aut si mavis, is cum ratione conjunctus instinctus), ait etiam, « Pyrrhonicos errore arguit », sed ratio natura nostra jam est, aut potius maxime intima atque essentialis pars nostræ naturæ. Dum ergo evenit ut ratio ceteris cogitandi facultatibus præstet, instinctum quemdam ceteris instinctibus præstare vides. Quæ cum ita sit nostri doctrina, se immodice dogmaticum esse putare non potest : rationi enim primatum, quodam saltem modo, defert sed quotiescumque facultatem hanc præstare asseverat, id agit quia instinctuum nostrorum maxime naturalem præ omnibus qui menti nostræ minus essentiales sunt, locare curat.

Sæpe tamen, naturæ voce prætermissa, ratiocinatur aut etiam conscientiam testem vocat noster ad causam dogmatismi sui defendendam ; sed tunc non jam *probationes*, sed potius *confirmationes* præbere cogitat, quod injuria vituperes ; nonne enim, initio, rationis et ceterarum facultatum naturalem usum crimine omni absolvit ? Quod si mens tota ad verum assequendum apta est, qua-

rum rerum demonstratio jam est, et confirmationes esse debent. At enim, instinctus in intelligentia siti jus, intuitione quadam potius quam demonstratione patuit ! Hoc non negabimus, respondet Balmesius, sed eo diligentius ac securius demonstrationes persequemur.

Hæc omnia, cum de criteriis aut de facultatibus aut de principiis loquetur, iterum dicet noster ; vocat enim conscientiam hic criterium et illic facultatem ; idem quoque agit cum de ratione tractat quæ, si ei crediderimus, nihil aliud sit nisi ipsum contradictionis principium ; instinctus denique credulitatis, quem « instinctum intellectualem » peculiariter vocat, ac sit exprimere solet : « omne evidens est verum » principium et criterium vicissim nomen habet apud Balmesium.

In summa, scholasticorum implicitam doctrinam Balmesii explicitam doctrinam esse factam dicemus ; ut isti, certitudini fidit quia instinctui credit, sed certitudinem, neglecta objectivarum rerum actione, in subjecto cogitante potissimum considerat ; ut rationalistæ, rationi primatum defert, sed ad *intentionem facti certitudinis* plurimum attendit, nec hujus facti analysim persequitur (1).

1. Veritates, ait noster, quarum cognitio e sensu communi re vera procedit, assensionem nostram tamquam rapiunt, omnibus evidentes videntur, rationi probantur et ad nostri utilitatem pertinent. Hanc vero ultimam conditionem raro memorat, tertiam ad primam sæpe, secundamque ad primam semper reducit. Itaque nos, ut decet, Balmesii doctrinam exposuisse credimus.

## CAPUT II

### DE CRITERIIS, NEMPE DE CONSCIENTIA, EVIDENTIA ET INTELLECTUALI INSTINCTU, APUD BALMESIUM

De veri criteriis aliter disseruit Balmesius ac medii ævi doctores, apud quos id « objectum formale », quo idem ac nostro verbo « criterium » significari contendunt nonnulli Novi Scholastici, nihil clari præbere nobis videtur. Quidquid id est, de criteriis doctrinam quamdam apud Scholasticos reperire possumus, quam pro viribus nostris in lucem proferre nitemur ut quænam sit inter illos et Balmesium relatio ostendamus.

### § 1.

Veteres Scholastici, ut recte dicunt Novi, tria criteriorum genera esse putabant, scilicet « criteria subjectiva intrinseca », quibus verbis omnes *cognitivas* facultates, exceptis intelligentia et ratione, intelligas : « criteria intrinseca objectiva » quæ sunt intelligentia et ratio sive cognitionis principia ; « criteria denique extrinseca » quo nomine quæ apud eos « magisterium divinum », magisterium humanum » et « consensum communem » vocantur significant. Quid de his criteriis censuerint, nunc videamus.

At unum, initio, nobis prænotandum est ; apud Scholasticos, verbo « subjectivum » non significatur id quod in unius hominis aut omnium *cogitantium subjectorum* in mente tantum, non autem *in se* existentiam habeat, sed simpliciter id quod in *subjecto* est ; ac ubi nos « objectivum » dicimus, ii verbum « formale » semper usurpant. Verbis tamen « subjectivum » et « objectivum » et hujus modi aliis plerumque utemur ut mos est apud recentes.

Primum apud eos « intrinsecum subjectivum criterium » (1) est « sensus externus » : in iis autem rebus quæ ad « sensibile proprium » quodque pertinent, sensuum unus, et in iis rebus quæ ad « sensibilia communia » pertinent, sensuum omnium consensus, ab illis criteria dicuntur. Ne vero credas sensibus ipsis, absque cujusdam alius facultatis ope, tantam inesse virtutem : cum enim de « sensibilibus per accidens » agitur, intelligentia, aiunt, sensuum *data* complet ; ac ut ea *data* certiora efficiant, nunc instinctum quemdam testem vocant cui sponte credamus, nunc rationem quæ sensationes inter et extraneas res necessariam relationem quamdam esse asseveret : intelligentia enim, quem rationis fontem esse dictitant, et sensus et totam mentem nostram quasi penetrari censent : quam relationem inter res et sensus (2), etiam inter sensus et intelligentiam esse declarant. Sitne Scholasticis intelligentia unicum criterium ? Hanc quæstionem proponere licet. Quidquid id est, modo ad instinctum quemdam cum sensuum activitate stricte conjunctum, modo ad alium instinctum intelligentiæ inhærentem confugere

1. Hujus modi vocabulis utuntur qui in nostro tempore priorum Scholasticorum doctrinis adhærent.

2. « Sensitiva » enim cognitione, si istis crediderimus, res in ipsas quasi penetramus.

videntur, sed semper extraneis rebus mentem quasi *tundi*, hujusque extraneæ actionis conscientiam in nobis esse profitentur.

Ut jam D. Augustinus, conscientiam deinde memorant quod et « intrinsecum subjectivum criterium » vocant. Nihil equidem de « memorativa virtute » neque de « imaginativa » nobis dicendum est, cum nunc ratione nunc instinctu quodam facultatem nostram imagines a sensationibus secernendi explicent. Conscientia, apud eos, de pluribus rebus nos certiores facit, scilicet non tantummodo nos sensationes habere (quam « conscientiam sensibilem » vocant), nos cogitare, ratiocinari et hujus modi cetera (quam « conscientiam intellectivam » vocant), sed etiam nostrum corpus existere, animæ ope vita frui, animamque nobis inesse. Cujus vero rei fit conscientia, nos prius inconscios fuisse non credunt, sed hoc vocabulo quam nos « reflexivam conscientiam » potius vocamus, intelligunt. Quod si ergo eorum doctrinam plane intelligere vis, eos sensisse putabis conscientia iterum ac fortius *extranea objecta dari* ut reapse existentia, et huic notitiæ alia majoris momenti insuper afferri. Summatim, apud Scholasticos, conscientia est hinc additicium quoddam criterium et illinc novum, per se sane perfectum, quam tamen, ut nostros sensus (vid. supr.), pro legitimo criterio habent intelligentia et instinctus. Aliquidne per se sit ea conscientia ? Minime : rerum in animam actionem et animæ ipsius activitatem percipit ; hujus quod non est ipsa, quasi sensatio est ; hoc quoque criterium a rebus (nonne anima pro re quadam habenda est ?), veritatem quam manifestat, quasi accipit.

Criteriorum omnium quæ « intrinseca objectiva » vocant, evidentia ea est quam « objectivam » appellant,

verbo « objectivum » semper significantes ipsius objecti « formam » in quantum eam cognoscamus ; ac « immediatæ » aut « mediatæ » evidentiæ, secundum eos, proprium est mentem ad aliquid credendum ita cogere ut nulla vi adversus eam resisti possit ; ut enim eorum opinionem aliter enuntiem, a quodam intellectuali instinctu movemur dum evidentiæ sponte assentimus ; et dum assentimus, nostram mentem veritate ipsa quasi *tundi* sentimus. Nihil autem hic refert repræsentativam facultatem, rationis activitatem et intelligentiæ primas intuitiones separatim considerare. Hoc equidem criterium ab aliis secernunt dum plurium notitiarum hunc fontem esse dicunt, quæ cum ceteris criteriis nihil communis habeant ; sed criterio eodem, et ea quæ ceterorum criteriorum auxilio certa fiant, quin etiam, ceterorum criteriorum excellentiam ipsam, confirmari posse contendunt. Hæc jam complicata et obscura sunt ; sed pergamus : ab ea evidentia, quod unicum in imo criterium scholasticum videri potuit, nunc prima intelligentiæ principia, nunc intelligentiam in semetipsa consideratam, nunc rationem distinguunt. Quid autem esse possit, quærimus, evidentiæ criterium, intelligentia et ratione aut etiam conscientia et sensibus remotis ? Quidquid id est, evidentiæ, quod « supremum criterium » sæpe vocant, in quo veritatis ipsius lumen quasi fulgere aiunt, primas deferunt partes, quod fere cartesianum est ; instinctus vero ille ad quem certitudinem reducebant, silentio fere prætermittitur dum de criteriis agunt. Lumen autem hoc quod in evidentia fulgere dictitant, ex ima mente oriri non putant : veritas enim ipsa (veritas in se) illud sit cujus lumen in nobis effundatur, quod minime cartesianum est.

De Scholasticorum « extrinsecis criteriis » pauca disse-

remus ; quod ad fidei christianæ veritatem pertinet, in nobis quamdam supernaturalem evidentiam interdum esse censent quæ varios admittat gradus, nosque de dogmatibus aut de præceptis moralibus aut etiam de iis quæ Sacræ narrant Scripturæ, « credulitatis probationes » saltem affere posse. « Sensus naturæ communis » quoque, quibus verbis nostram « moralem certitudinem » intelligas, reverentissimi sunt et esse debent, quando hunc rationi probari putant, quando præsertim puro credulitatis instinctui quam maxime jam fidunt. In considerationem inductionis haud magnam impendunt curam, quippe qui quodcumque neque logicæ, neque mathematicæ, neque metaphysicæ ope demonstrari possit, suspectum habere profiteantur. Dum vero profitentur, se ipsos multa sine minima demonstratione pro veris tamen reputare obliviscuntur. In summa, hic quoque nunc puro credulitatis instinctui, nunc hujus modi instinctui cum rationis ipsius activitate conjuncto, fidere videntur : hunc tamen pluris sane faciunt, nam, ut jam diximus, ad id quod « rationalismum » vocamus inclinant, quamvis verbum « extrinsecum » cum verbo « criterium » conjungere non dubitent !

Omnia demum scholastica criteria ad duo tantum redigenda sunt, nempe instinctum et evidentiam. Implicite quidem instinctui semper credunt, verum explicite id quod « perspicuitatem rei intelligibilis » vocant, pro supremo veri criterio habent. Attamen quemdam cum rationis activitate conjunctum instinctum afferunt, quæ transitio est inter eorum implicitam et eorum explicitam doctrinam. Unum vero apud eos idem stat continuo : veritatis criteria ex humana mente quasi projiciunt ac in

mediis *formalibus* rebus (recentes dicant « in objectivo ») locant, unde lumen in nostras effundatur mentes.

§ 2 (1).

Nunc autem videamus quantum Balmesius a Scholasticis differat. Nihil jam apud eum de « sensibilibus criteriis » deprehendas, et verbo « conscientia » idem ac nos designat. Conscientia illi est omnium criteriorum primum, non vero quod ejus ope animæ essentiam perspiciamus, sed quia *factorum* interiorum notitiam præbet: realem quoque in nobis *factorum* eorum existentiam,

1. Por su naturaleza, el testimonio de la conciencia es puramente subjetivo. I. 225. — Considerado en sí mismo, separadamente del instinto intelectual y de la evidencia, nada atestigua con respecto á los objetos. Ibid. — El sentido intimo ó la conciencia es el fundamento de los demas criterios, no como una proposicion que les sirven de apoyo, sino como un hecho que es para todos ellos una condicion indispensable. I. 231. — De la combinacion de la conciencia con el instinto intelectual nacen todos los demas criterios. I. 238. — La inclinacion natural es iresistible, es universal, satisface una gran necesidad de la vida y sufre el exámen de la razon. I. 330. — Todos criterios estan en relacion : se afirman y completan reciprocamente. I. 340. — Los criterios no se dañan, se favorecen, y se fortifican reciprocamente. I. 340. — Cuando el instinto intelectual versa sobre objetos no evidentes y nos inclina al asenso, se llama sentido comun. I. 339. — El valor objetivo, existente ó posible (de las ideas) pertenece al instinto intelectual. Ibid. — El principio de la evidencia (lo evidente es verdadero) no es evidente. I. 221. — No todo se puede probar, pero todo criterio sufre el exámen de la razon. I. 339. — Esta conciencia, la arruinan completamente los que niegan el enlace de la idea con objeto. I. 254. — Hay varios principios igualmente fundamentales... porque no se apoyan en otros... ; la ruina (de uno ú otro) traiga consigo la de todas las verdades, y su firmeza las sostenga... de manera que quien las negare pueda ser reducido por demostracion indirecta ó *ad absurdum*. I. 106. Vid. peculiariter lib. I. XXIII. XXIV. XXX-XXXIII.

atque animæ nostræ existentiam, unitatem, identitatem et substantialitatem conscientia cognosci opinatur noster. Veritatis, ait, certum criterium est conscientia, nam immediatæ sunt ex ea procedentes quæque notitiæ ; talibus autem verbis nullam affere demonstrationem putat, sed unice nos illud monere : cuique semetipsum intuenti, èas notitias conscientia contineri statim et necessario manifestum fieri. Mirum sane nobis videtur eadem facultate interiora *facta* præberi (nihil equidem nisi hujus modi aliquid ea dari semel declaravit), simulque hæc *facta* ut cujusdam generis res, nec non ut animæ uni cuidam et identicæ et substantiali inhærentia præberi ? Non semel, denique, plures inter eas sententias, quas immediate pro veris mente haberi contendit, probationibus tamen co. firmare tentavit. Quid de Balmesio censendum ? Sibine contradixit aut conscientiam et alias facultates permiscuit ? Minime, nam apud eum reperias unde eum defendere possis. Non enim absurdum est aliquas veritates hinc per se nosci et illinc eas esse putare quæ probationibus demonstrari possint ; imo etiam (quod autem satis dixisse eum non contendemus), conscientiæ criterium sibi ipsi sufficere numquam censuit, sed *pro relativo* potius, sive mavis, *pro quodam in potentia criterio* hoc criterium habuit. At enim, potestne criterium dici quod est relativum ? Balmesii sententiam perspicere tentemus. « Sublatis, ait, ceteris mentis facultatibus, conscientia permanet », cum res distincta quædam sit ; et alias legimus : « Si sola restat conscientia, *ipso facto* evertitur ea, cum non jam in mente minima cogitatio subsistat » « nec jam sui ipsius existentiam affirmare possit conscientia ». Hæc autem pronuntiata minime discrepare videbuntur, si res ut sequitur consideraveris. Pronuntiatum enim hoc, exempli

causa, inspiciamus : « Cogito, ergo sum ». Ratione et instinctu remotis, subsistit secundum nostrum τὸ « Cogito », sed tamquam vaga quædam veritas quæ quasi in vacuo fluctuet. *Realitatis* autem τοῦ « Cogito » affirmationem ad rationem et instinctum referas necesse est, ad primam vero qua « Quod cogitat, est » pronuntiatur, ad alterum autem qui de existentia solus cognoscit ac pronuntiatur : « Sum ». Rationis ideo et instinctus ope, *existentia concreta* τὸ « Cogito » demum donatur, quod, hoc existentiæ modo nondum comparato, nihilum quoddam appellari sane non debet, sed per conscientiam solam et in ea tantum est illud quod tunc est. Inde sequitur conscientiæ criterium independens esse. Præterea autem, num possibile sit usque ad *concretæ existentiæ* affirmationem nos non progredi ? Quis dubitabit rationis et intellectus operam conscientia quasi necessario efflagitari ? Quæ cum ita sint, eam quoque sententiam pro vera habere potes, scilicet conscientiæ criterium haud independens esse.

Itaque Balmesius sic persequi potest : rationem inter aut instinctum et conscientiam, nulla via est ; non enim ab hac ad illa adire potes nisi jam rationi et instinctui fisus eris, nam per se nullam existentiam proprie dictam, ne suam ipsius quidem, manifestam facit conscientia ; nihil ergo firmi præbet quo ratio et instinctus, quibus tantum *realis* aliquid fieri potest ea, innitantur. Rursus, quid ratio et instinctus sine conscientia esse possint quippe quæ ea contineat, quin etiam, eis omnia quibus (ut ita dicam) alantur, præbeat ; ut ergo ad conscientiam a ratione aut instinctu adeas, conscientiam pro vero quodam criterio habeas necesse est. Quid demum inde sequitur, nisi hæc ipsa vera esse quæ modo mirabamur, tam arcte cum ratione et instinctu conscientiam conjungi, ut

reapse conscientia dari quæ ratio et instinctus præsertim præbere videntur, certum sit, ac veritates quas ad conscientiam potius retuleris, ad rationem quoque referri debere et proinde ratiocinationibus quibusdam *confirmari* posse, easdem denique instinctui simul probari ? Animadvertere autem licet unum : in conscientia, naturæ ipsius sive instinctus cujusdam vocem agnoscendam esse Balmesio videri, qui tamen, quamquam mentem nostram rebus ipsis quasi *tundi* credit, mentem et conscientiam *rebus penetrari* non putat : quam enim verbo « natura » significat, mentis ipsius nostræ, in quantum cogitat mens ea, natura est.

Evidentia secundum Balmesii criterium est, sed hoc a rationis principiis numquam separat. Posterius dicemus quemadmodum omnes veritates quas « ideales » vocat, ad contradictionis principium redegerit, quod rationis essentiam esse judicat. Tria apud eum idem sunt, nempe evidens, rationale atque analyticum ; ac Scholasticorum in his doctrinam sequitur, cui etiam favet dum ad evidentiæ virtutem et dignitatem celebrandas, in hoc moratur quod instinctu quodam impulsi, evidentiæ lumini sponte cedimus. Raro equidem, dum de conscientia vel de evidentia disserit noster, verbo « instinctus » utitur, sed si eum accurate legeris, verba « naturæ vox », vel « spontanea fides » vel hujus modi alia, ab eo sæpissime usurpari animadvertes, et ut ipsi nos ejus doctrinam intelligere debebis. Independens hoc quoque criterium esse probat Balmesius, quod a conscientia differat ut a conceptu judicium, et ab instinctu, quo res existere affirmantur, ut ab objectivo subjectivum. Maximi momenti, secundum nostrum, hoc criterium est, nam, ait, « idealibus veritatibus » fecundantur quæ attulit conscientia. Ac conscien-

tiæ criterio independentius etiam est, cum iis veritatibus, ut ratiocinandi initiis sumptis, uti possimus ad ontologiam quamdam ædificandam, quæ, etiamsi nullam cum nostro hoc mundo relationem habeat, in se tamen aliquid veri necessario contineat. Scilicet, sicut conscientia per se jam aliquid est, neque tamen aliud nisi *quoddam in potentia criterium*, ita evidentia, quæ subjective omni ex parte rationi probatur nec improbari potest, neque materiam ex qua scientiam conficere possis neque unde res in semetipsis existere probari queant, præbere valet. Ratio enim se ipsam pro legitima quadam facultate et pro vera re habet, sed scientiæ forma tantum est : evidentiæ ergo criterium, in potentia criterium quoddam esse recte dices, quod « subjectivæ evidentiæ » tantum fons sit. A ceteris criteriis plane differre hoc patet, sed etiam nos ut ceteris utamur et ea pro veris habeamus, vehementer hortari : nam nemo ratiocinari instituit quin conscientiæ testimonia pro veris acceperit, imo rationem, illam conscientiæ quasi partem, ens verum quoddam esse crediderit, res denique quasdam existere cogitet, ut ipse credulitatis suadet instinctus.

Inde sequitur eam esse omnium criteriorum concatenationem ut conscientiæ vel instinctus dignitas ab eo jam agnoscatur qui tamen nullum nisi evidentiæ criterium initio accipere voluerit ; sequitur quoque hoc propositum, nihil in ratione reperiri posse cujus ope veracem esse conscientiam vel instinctum demonstremus, propositum que illud, nec in conscientia nec in instinctu esse unde rationis usum omnino legitimum esse ostendamus. Hic enim de demonstrationibus nullo modo agi potest, cum adeo intimus sit inter tria criteria nexus, quæ alioquin permiscere insanum sit : diversa inter se sane sunt, at

non tam quam ut eorum unumquodque principii partes ei alia conclusionis partes suscipere possint. In summa, Balmesio ut nobis, *factum* internum videtur illud evidentiæ criterium ; quamquam lumine quodam e rebus ipsis orto mentem quasi illustrari non credit, « subjectivam evidentiam » humana mente satis haberi non declarat; in nobis ideo, nempe in quodam credulitatis objectivæ instinctu, quærit unde « subjectivæ evidentiæ » extra fines transire queat ; quod extra mentem locabant Scholastici, in trium instinctuum vi atque nexu ponitur a Balmesio. At enim principium hoc : « omne evidens est verum » rationi intexere debuit, nec omne evidens analyticum quoque dicere ! Jure ea vituperabis, sed magnopere laudandus est Balmesius cum duo evidentiæ genera et distinxerit et pro rebus essentialiter interioribus reputaverit.

Hactenus, sive in primo sive in secundo hujus partis capite, de eo criterio satis, quamquam obiter, disseruimus quod Balmesius « instinctum intellectualem » proprie vocat, de quo equidem multa explicare non expedit cum horum verborum sensus sit clarissimus. Quæ igitur nos de suo tertio criterio doceat, breviter commemoremus : primo loco, ejus criterii ope, quæ præbuerit conscientia ac evolverit ratio, pro veris in semetipsis haberi contendit ; deinde criterium hoc, separatim consideratum, vacuum esse atque sterile ; nihil ejus ope probari posse neque ipsum ullo modo posse probari ; cetera denique criteria continere nec non ceteris contineri et per se pro norma extranei veri sponte videri. Omnes eas sententias cum Balmesii ceteris consentire patet.

*Subjectiva* demum *facta* esse criteria censet Balmesius, quæ omnia ad instinctum quemdam referenda ac simul

intelligentiæ essentiam quasi constituere prædicat : quippe, non tantum in unaquaque nostrarum affirmationum sunt atque connectuntur sed etiam uniuscujusque criterii negatio, ejusdem et affirmatio, secundum nostrum est : quid enim conscientiam negare est, nisi conscientiæ *factum* quoddam ! Quin etiam, hac ipsa negatione, se ipsam esse affirmat conscientia; quicumque contradictionis principium suspicatur, in hoc sibi contradicere non vult ac tamen id agit quod non vult; denique, qui nihil existere asseverat, de absoluta veritate cognoscere nihilominus cogitat. At quibusdam forsan videbitur in imo pectore evidentiæ potissimum fidere Balmesium ; quod si ita est, evidentiæ non veluti evidentiæ, sed ut instinctu quodam commendatæ evidentiæ eum fidere credas æquum est. Ubi Scholastici propius philosophos quos gallice « rationalistes intellectualistes » vocabamus, accedere videbantur, Balmesium Scotos propius, sensus communis et instinctus tantopere observantes, accedere fatendum est.

Cum ea sit ejus doctrina, sensui communi, scientiæ et philosophiæ eosdem honores deferre debet ; quod equidem agit. « Sensu vero communi », vel « spontaneæ conscientiæ » testimonium, vel rationis naturalem usum, nec solum quem « intellectualem intelligentiæ instinctum » proprie vocat, intelligere tibi licet. Ejus autem de his balmesianæ sententiæ rationes excutere quimus. Nonne scientiæ et philosophiæ sensusque communis principia eadem esse demonstravit ? Quod ergo aversatur hic, aversentur et illæ ! Dum enim communem sensum quasi supremum judicem esse vult noster, multum abest ut minorem rationis dignitatem se facere credat : dum enim illud agit, rationem ad suum ipsius fontem reducere

cogitat, quippe quam in imo constituant et spontanea conscientiæ fides, rationi ipsi fides, nec non ejus modi instinctibus fides ex quibus, exempli causa, nascatur nostra de rerum existentia firma certitudo. Cum ergo rationem re vera ex tribus instinctibus (vid. supr.) constare putet, numquam dubitare potest quin consilio, sive, ut ipse dicit « reflexionis » ope, spontaneæ nostræ opiniones refutari queant ; ac necessario, numquam in haud solvendas *rationales antinomias* incidere posse humanam mentem credit ; phænomenon et noumenon distinctionem ut in communi sensu, ita in ratione nullum habere fundamentum censet. Denique, sicut plurium opinionum conflictionem in perpetuum durare non posse negavit, habet noster unde affirmet nusquam in mundo re ipsa existere posse ullam contradictionem.

De tertio nostri criterio aliud sub finem dicamus, hoc est eum de inductione, de finibus, de historiæ documentis pauciora disseruisse, nec quidem omnia enumeravisse quæ ad proprie « intellectualem instinctum » refert (1). Attamen, quemadmodum ejus modi res tractare potuisset, perplane videmus. Quidquid id est, demonstrasse nos credimus quod initio enodatius explicare pollicebamur, scilicet Scholasticorum implicitam doctrinam Balmesii explicitam doctrinam esse factam, eumque in imo pectore instinctui, aut si mavis sensui communi potissimum confidere.

## § 3.

Suam denique ipsius doctrinam, Vici et Mennaisii

1. De iis videas balmesianum librum cui nomen inditur « El criterio ». Nihil in eo est quod hic referre intersit.

confutatione confirmat noster. Quod ad hunc attinet, nos monet Balmesius ne « consensum communem » et « communem sensum » permisceamus, atque declarat nihil esse mentium omnium consensum nisi opinionum summam pro veris a singulis mentibus habitarum, in quibus unius rationis sit vera et falsa dijudicare. Vici vero doctrinam paulo longius, ut ipse Balmesius, consideremus, cum neapolitanus ille plura excogitaverit quorum causa Kantii præcursorem fuisse eum recte censeas. Unicum veri criterium, ait Vicus, est « ipsum cogitationis objectum creasse » : inde sequi hominem nulla cognitione frui posse quæ perfecta dici debeat, nisi in mathematica ; « cogitare est conjungere », ergo *totalitates* quasdam saltem creare ; num autem quid pro synthesibus quas fingimus spondere possit ? Neque enim animam nostram, neque rerum elementa, neque phænomena, neque hujus mundi leges, ipsi nos creavimus. Dum mechanicam ac præsertim physicam tractamus, mathematicis e veritatibus conclusiones desumimus quæ per se nihil certi præbere possunt, cum res mathematice tractatæ neque existentiam neque qualitates suæ essentiæ inhærentes a nobis acceperint. Solus est Deus, rerum creator, qui res cognoscat ; earum vero existentiam potius ut creator, earumque essentiam potius ut Verbi genitor noscit : in Verbo enim æternas contemplatur veritates. — Quæ autem apud Vicum Balmesio probentur et improbentur, nunc dicamus. In Deo semper et in homine plerumque, ait noster, actione intelligentia prior est. Evenit sane ut ante agat intelligentia nostra, quam eam agere animadvertamus, at intelligendi principia non creavimus ; imo, quod ad Deum attinet, Verbi genitorem per se non intelligentem esse (quod equidem, quamquam ita sentire non vult Vicus, ejus senten-

tiæ consentaneum est) insanum sit effari ; nec ullus est qui Deum Patrem sive Ens infinita præditum intelligentia, se ipsum fecisse contendat. Nusquam ergo intelligentiam posteriorem quam actionem reperire est. Nec Balmesium latet proprius scepticos accedere Vicum, penitusque neapolitanum philosophum errare dum sibi ipsi in promptu esse scepticismum vitare putat : quomodo, quærit noster, divinam scientiam, quam non generavimus « cum nostra scientia » (quod petit Vicus) comparare possemus ? Ac profecto, quis nos certiores faceret eamdem mathematicam a Deo et a nostra mente generari, atque hunc mundum, a nobis non creatum, re ipsa existere ? Nobis equidem videtur scepticismum vitari potuisse a Vico si, ut Kantius, e « sensibilitatis formis » « categoriisque intellectus », illud constituisset quod menti nostræ veluti « objectivum » se præbet. Denique illud est in Vici doctrina quod immodici dogmatismi cujusdam Balmesio videtur : verum aliquando ab humana mente creari (1) ; numquam enim verum in semetipso nos contemplari credit, sed potius quamdam verum assequendi facultatem in nobis esse, cujus etiam conscios nos declarat. Illud vero laudat apud Vicum, quod multi et alii dixerunt, quibus summa libertate atque legitima in *abstractis scientiis* mentem humanam frui visum est.

Quousque Scholasticorum discipulus sit noster, satis ostendimus ac quousque recentioribus faveat doctrinis ; mox autem ab ipso Kantio eum allectum esse manifestum erit. Quæ cum ita sint, fere necessarium est Balmesium,

1. Posterius videbitur plura apud Balmesium vicanis satis similia esse ; sæpe quidem illos confutare maxime gestimus, quibus ipsi nos fere similes sumus.

quotiescumque occurrit occasio, Cartesium inter et se ipsum similitudinem quamdam accurate notare. Nonne Cartesianismus quasi transitio est inter Scholasticam et Kantismum? Nonne sensui favit communi? Nonne etiam evidentiæ criterium accipit Balmesius? Porro, in τῷ « Cogito » suam « conscientiam » agnoscit noster ; in pronuntiato hoc : « Quod cogitat est » « veritatem idealem » illam qua mens indigeat ad « reales veritates » a conscientia datas, fecundandas ; denique, in τῷ « Sum », « sensus communis » sive « instinctus intellectualis » sive « naturæ » vocem ipsam agnoscit. Non vero quod syllogismum quoddam fecisse Cartesium putet ; sed in τῷ « Cogito, ergo sum » sua ipsius *distincta* firmiterque connexa criteria jam contineri credit. Ita Balmesius, sane minus rationalista quam putat, Cartesii discipulum sese profiteri non dubitat.

# CAPUT III

## DE MENTIS FACULTATIBUS APUD BALMESIUM

Psychologiæ curiosus quisque maximam impendit operam in activitate mentalium facultatum investiganda; quicumque autem potius dogmatici sunt, aut sceptici aut cristicistæ, quæ sit eas facultates inter et verum relatio præsertim quærunt; sed apud eos, quamquam psychologiæ sæpe incuriosos, quædam invenias de mentis activitate necesse est quæ te considerare oportet si saltem eorum de mentis viribus doctrinam plane intelligere velis. Quod ideo a nobis de balmesiana philosophia disserentibus agendum est, quippe quæ adeo dogmaticam se præstet.

### § 1.

Verum, ut nostri doctrinam penitus perspiciamus, ad Scholasticos ejus magistros redire iterum debemus, a quibus sæpe evenit ut longe recedat. Nihil tamen apud eum hic reperias hujus Novæ Scholasticæ quam ab eo originem duxisse certum est.

Apud Scholasticos, « sensibilia externa » sive rerum in se sumptarum qualitates, causæ sunt a quibus sensuum procedunt motus. Præter id, neque corporis constructio,

quod *medium* dicunt cujus ope animæ « informatio » producatur, neque « spiritualis sensus » ille, cujus operationem « receptivam » tantum esse putant, ab iis facultate prædita sunt extraneas alterandi operationes, nisi apud ægrotos. Nihilominus iterant isti sæpe sensationem communem actum esse « sentientis » et « sensati » (inusitatum hoc vocabulum usurpare non dubitant) ; sed pergamus. Sensus iis « essentialiter passivus » videtur ; et rei extraneæ veluti exemplar in sensatione agnoscendum esse arbitantur ; non vero quod exemplar illud a rebus ipsis quasi mittatur, sed quia ad eas ut ad causas, et corporis motum et motum quo rei repræsentatio e potentia ad actum transeat, referre solent. Scimus profecto eos mentionem facere cujusdam « sensationis active acceptæ » quæ « sensationis passive acceptæ » in locum continuo subeat ; at quantum erraveris si *subjectum cogitans* tunc re ipsa activum Scholasticis videri censueris ! Iis enim sententia est hujus mutationis causam non equidem mentem nostram esse, sed, ut Scholasticæ disciplinæ recentes quidam interpretes dicunt, ipsum « subjectum organico-vitalem ». Animæ tamen activitatem numquam negant ; imo, ejus activitatis idea ad hoc et illud explicandum frequenter utuntur ; sed, quod animadvertere plurimum refert, mentis activitatem rarius commemorant, nec ex ea notione unde nostrarum cognitionum originem explicent aliquid eruere curant. « Species sensibilis » (cujus causa, apud eos, illud est quod « sensibile externum » vocant) ab eis « species sensibilis intentionalis » quoque appellatur, cujus in nobis habitus duplex sit ; primus speciei hujus habitus his verbis designatur : « species impressa ». Verbo « intentionalis » significant « directam » esse « sensum spiritualem » inter et rem, relationem ; verbo

« impressa » in *subjecto* impressionem fieri ; verbo denique « expressa », ab anima duo jam cognosci, extraneam esse sensationis causam et in ea causa quamdam esse essentiam ; verbis « verbum cordis » quoque utuntur in locum verborum « species expressa ». Ita perceptionis rationem reddunt Scholastici. Quam « existentiæ quæstionem » vocamus, solvisse putant cum res in nos agere asseverarunt. Ad summam, *objecti* extranei ipsius, corporis nostri et animæ nostræ *pro rebus in se quibusdam* initio habitorum actione, mentalium facultatum activitatem explicant; perceptionem et sensationem permiscent; nihil aliud, ut jam diximus, cognitionem esse nisi *subjecti* ab *objecto* « informationem » censent; recte igitur dicemus mentis activitatem potius negasse quam explicuisse Scholasticos.

Cum de conscientia loquuntur,eam plerumque significant quæ « sensationis sensatio » dici possit. Nos quidem recentes, conscientiæ naturam et existentiam a mentis potius essentia deducendas esse existimamus ; Scholastici contra, cunctas mentales virtutes a causis non proprie mentalibus deducere instituerunt, ut mox manifestius etiam erit. Quippe, animæ ipsius sentire esse aiunt, corporis quoque et ipsius, ut facultatem hanc ab anima accipientis; « animam », non autem « mentem » continuo eos dicere animadverte. Præterea, sensationem quasi « motivam » esse causam putant illius quod proprie conscientiam vocant. Quod denique in nostris sensationibus et in nostra conscientia neque per corpus neque per animam explicuerunt, hoc per res ipsas in nos agentes explicant. Quæ cum ita sint, quid mirum si iis, omnia quæ superius enumeravimus, a conscientia immediate dari videtur ! Iis enim numquam quoddam *subjectum*

*purum* (si ita loqui conceditur) sed tamquam inter alia *objecta objectum* quoddam esse videtur ; eo demum sensus et conscientiam magis passiva faciunt, eo cognitionis objectivitatem certiorem fecisse cogitant.

Quemadmodum ex anima in se, e corpore nostro in se, ac præsertim e rebus sensibilibus in se consideratis desumunt Scholastici unde nostræ sentiendi facultatis rationem reddant, ita ex illo « formali » vero, in quo species et genera fundamenta sua secundum eos habent, causas repetere solent per quas intelligentiam nostram explicant : ente in ipso, aut si mavis « intelligibili » in ipso, entis intelligibilitatem produci contendunt ; nec mirum, cum intellectum humanum « essentialiter passivum » esse prædicent. Eorum enim « intellectus possilibilis » ipsa est, secundum eos, humana intelligentia : quibus vero verbis meram capacitatem quamlibet formam accipiendi intelligas. Non infinita tamen apud eos hæc capacitas est, sed ut ejus fines cognoscas, non mentis naturam considerare te oportebit, sed potius aut Deum, omnium creatorem, aut corpus tuum, aut animam tuam, aut res inter quas tibi vivendum est. At enim res intelligimus? Mente nostra intelliguntur, respondent Scholastici, sed quia in semetipsis intelligibiles sunt res ; ex illa extra intellectum posita intelligibilitate, impulsus procedit quidam quo ad notiones plurimas concipiendas movemur, quarum notiorum gratia « cognitum » fit *objectum*. Res enim sic aguntur : a « sensibili externo » sensus movetur et « intellectum possibilem » sua vice movet ; « species » autem « sensibilis intentionalis » medium illud est quo res intelligibilis, quæ sensibilis in se quoque est, in intellectum agit ut eum « determinet » sive mavis « actuet » (1) et

1. Ut plane videri potest, quem « intellectum agentem » vocant ii, nihil nisi « intellectus possibilis » umbram esse recte dicatur.

sui in nobis notionem suscitet. Hinc jam de corpore raro, de animaque, ut intellectionis causa, minus minusque loquuntur; ac contra *objecti in se* sumpti partes majores atque majores faciunt. Rei essentiam et existentiam, sensibus jam et conscientia cognoscebamus, sed, « intellectus possibilis » auxilio, jam comparatæ notitiæ quasi denuo dantur, et iis novæ quædam atque pretiosiores adduntur notiones. Ne dicas, denique, *abstrahendi* facultatem tamquam *positivam* quamdam virtutem a Scholasticis in « intellectu possibili » locari, quem omnino vacuum esse modo contendebamus; prædicant enim nihil esse in effectu quod in causa jam non fuerit; porro nemo est qui ignoret eos in rebus species et genera vere esse credere: in rebus ergo tamquam *abstractionem* quamdam quodam esse modo putant (si saltem ita loqui conceditur), eaque *abstractione* illam quam facit mens explicant Scholastici.

Nunc autem, quod « intelligentiam » proprie dictam vocant, consideremus, quo verbo facultatem significant ex qua ratiocinandi principia procedunt. Sitne hæc saltem facultas activitate vere prædita? Minime. « Temporalia » aiunt, per æterna noscimus, ad quæ, illorum ope, nostram efferre mentem quimus. At quæ æterna, et divina sunt, nec ex alio manant fonte nisi a Verbo quem Deum ipsum esse constat. Innata apud Aristotelem principia quædam reperire possis quæ tamen in nobis « θύραθεν », veniant: illud vero rarius recordati sunt nostri, hoc autem potius memoria retinuere. Deus est, apud eos, qui logicæ, mathematicæ et metaphysicæ principia tamquam foris in mentem infundit nostram; et mens nostra, quæ re ipsa ex iis principiis constat, animæ nostræ quasi addi apud eos videtur. Modo menti aliquam activitatem conferre

videri poterant; nunc mentem, in quantum saltem humana res est, ad nihilum reducunt: quam activitatem ad mentem referre decet, ad animam interdum sane referunt, sed animæ activitatem præsertim ad Deum ipsum. De ratione quoque, in quantum ejus ope ædificatur scientia, pariter sentiunt: eam enim facultatem hinc ab intelligentia, qui sit scientiæ *formæ* quasi fons, illinc ab « intellectu possibili », qui generum et specierum notiones effingat, moveri contendunt. Aliquidne activi rationi restabit? Absit. Recte cogitat vir quidam: quid mirum? Deum enim sequitur, gratia quadam sustentatus. Errat alter: quid mirum? per se solum agit. At enim agit? Sane; verum, ne obliviscaris peccato originali vitiatam esse nostram animam, quæ alioquin tamquam cum corpore conjuncta, in eo corpore « individuans principium » nec non erroris et peccati principium quoddam habet. Ad summam, cum de intelligentia explicanda agitur, animæ sæpe, Dei sæpius, corporis denique interdum, mentionem statim faciunt Scholastici. Ut empirici, quo minus menti ipsi tribuunt, eo solertius cognitionis humanæ excellentiam se demonstravisse putant! Nullos apud dogmaticos, tam imminutas mentis partes reperire queas.

## § 2 (1).

Balmesius contra, dum ab inferioribus incipiendo men-

1. La conciencia nos ofrece tres modos de ser: sensibilidad, inteligencia y voluntad. II. 282. — La única actividad de que nosotros tenemos conocimiento intuitivo, es la conciencia. X. 143. — En la conciencia (en la que todos los fenómenos interiores de un ser sensitivo ó intelectual se hallan en un fondo comun. X. 141) hallamos un tipo de verdadera conciencia. X. 142. — La represen-

tis facultates explorat, magis magisque spontaneas esse eas arbitrari videtur. Nec tamen, etiam cum luminis quasi fontem esse nostram mentem declarat, instinctui minus in imo pectore fidit noster.

*Objecti* mentionem sæpe facit Balmesius dum de cognoscendi facultatibus disserit, sed non jam ut Scholastici; *objecti* enim vim atque virtutem numquam repe-

tacion activa no es mas que la capacidad de entender. I. 120. — Nostro entendimiento no es inteligible por sí mismo para sí mismo; su actividad ha menester excitacion. I. 124. — La sensacion es una mera afeccion interior. II. 1. — La simple sensacion no tiene relacion necesaria con el objeto externo. Ibid. — El objeto de las sensaciones, no la sustancia, sino sus calidades, en cuanto afectan nuestros sentidos. IX. 17. — La esencia intima de los cuerpos nos es deconocida. — ...las dos palabras odorosa y sabrosa solo espresan la causalidad de estas sensaciones, residente en el objeto externo. — La extension envuelve multiplicidad... y continuidad. Estas ideas contienen cuanto encieramos en la idea de cuerpo. II. 43. 45. 48. — Para comprender la idea de causalidad (de los cuerpos), conviene reflexionar sobre las de actividad y accion. X. 129. — ...hay verdadera actividad inmanente, de la cual tenemos conocimiento intuitivo en los fenómenos de nuestra conciencia. X. 136. — Nuestras sensaciones no son imagenes II. 53. — En sí misma (la extension) no es sentida en nosotros, no es una sensacion, sino una idea, un hecho primario de nuestro espíritu, es una condicion necesaria á nuestras sensaciones. III. 9, 12. — Alias dicit: la sensacion de la extension. II. 4. 3. — Algunas sensaciones come las de la vista y del tacto manifestan de un modo particular la multiplicidad y la continuidad, ó sea la extension. — No se debe cunfundirse (la pura idea de la extension) con la representacion imaginaria de la extension. III. 267. — Hay dentro de nosotros una especie de produccion de ideas. IV. 193. — El yo es uno, identico... esa unidad, esa identidad (su simplicidad. IX. 72) (su substancialidad. IX. 33) es un hecho atestiguado por la conciencia IX. 33. — La unidad de la razon humana da una cumplida demostracion de la existencia de Dios.. luz de todo. IV. 167. — Hay comunidad de razon en cuanto a todos los entendimientos finitos, los ilumina una misma luz: Dios. IV. 157. — Vide peculiariter lib. II. x-xiii; II tot.; III. xxx; omnesque locos in quibus idearum nostrarum aut rerum cognitarum naturam explorat noster.

tere solet nisi ad ea explicanda quæ in mentis essentia nullam rationem habere queunt : ita semper principiorum meminit quæ de certitudine et criteriis initio prædicavit. Illi videtur hominem plures habere posse sensus quam nunc habet, nec tamen ideo nos, scientiam quam ædificavimus, suspicari debere : aliis si eveniret ut frueremur sentiendi facultatibus, tunc alias relationes sive inter phænomena alia sive hæc inter et quæ noscimus, reperire possemus. Nonne et multi jam sunt in nobis affectus, ait, quos clare noscitare frustra conamur, quos tamen in obscurissima animæ nostræ parte quasi fluitare sentimus ? *Sentientis subjecti* modos esse nostras asserit sensationes, nosque, in sensatione, nos pati sentire ; quas « secundas » vocamus qualitates, mere « subjectivas » declarat nec non e mentis natura pendentes. Non sane dubitat quin, ad sensationes generandas, ab extranea causa stimulari debeat mens nostra, sed in ea causa nihil invenit unde sensibilium qualitatum rationem reddere possit. Non ita vero de « prioribus qualitatibus » sentit, quas, ut Cartesius et Lockius, et in objecto existere arbitratur. Attamen nescio an apud eum leibnitziani, imo kantiani aliquid jam fuerit, cum apud eum legamus non tantummodo « objectivam illam extensionem » in nos impulsu quodam agere, sed etiam extensionis proprie dictam « sensationem » a nobis generari ipsis et « ab ea extensione quæ in *objecto* sit plurimum differre » ; extensionem realem rectamque ejus extensionis « ideam » ab extensionis « sensatione » omnino alienas esse contendit. Addit quoque noster res inter et sentiendi facultatem corpus quasi medium esse quod ea prius moveatur a rebus, ideoque a *physiologica* nostra natura, *psychologicam* nostram naturam primum pendere. Denique haud intelligibilem declarat

similitudinem eam quam, res inter et sentiendi modos, fingunt plures philosophi. Nec jam apud eum nostræ rerum ideæ pro imaginibus ducuntur ; mentis, enim, nec jam animæ potentia et virtus ab eo requiruntur ; corpori quoque activi aliquid in sensatione quaque tribuit. Quantum hic a Scholasticis discedit noster ! De quadam « passiva sensibilitate » eum loqui scimus, quæ in corporibus quasi facultas in nos agendi sit ; at omnino aliena est hæc proprietas ab eo quod verbis « sensibile externum » intelligebant Scholastici ; mentem stimulat extranea res, sed nihil aliud agit ; ac sensatio, apud eum, « vera actio quædam » facta est. Itaque, neque « sensationis passive acceptæ » mentionem fecit noster, neque « speciei sensibilis intentionalis » quæ Scholasticis totius de cognitione doctrinæ tamquam cardo esse videbatur ; tantas culpas graviter queruntur plures inter recentes Scholasticos (1). Ad summam, sensationis principium mens ipsa est apud Balmesium, mentemque ipsam et instinctus cujusdam ope et demonstrationum plurium auxilio illud scire arbitratur : aliquid in re esse debere quod cogitationibus nostris respondeat. Minime scholasticus est ille qui mentem pro se ipsa spondere posse arbitratus est.

Præterea, nec sensationes, nec animi motus nec cogitationes nec voluntatis actus a conscientia distinguit Balmesius : conscientia sublata, omnia ea nihil jam esse, hisque sublatis illam jam non esse contendit. Conscientiam ab extraneo mundo stimulari, corporis nostri opera indigere atque in anima tamquam in substrato esse profitetur, sed eam quoque per mentis naturam potissimum explicare curat. Per animæ actionem, animæ existen-

1. Inter quos in primis cardinalis Gonzales, Sevillæ archiepiscopus, cujusdam « Historia de la Filosofía » auctor.

tiam, unitatem, identitatem substantialitatemque cognoscit mens, si saltem Balmesio credimus, animaque, ut et extraneus ipse mundus, in mentem agit continuo ; at ne credas eas saltem notitias quæ ad animæ proprietates pertinent, ab anima in conscientiam quasi projici : in mente enim reperire est tamquam proprietatem quamdam cujus ope sui ipsius conscia sit et omnium quæ in se ipsa fiant. Nobis equidem videtur animam, apud Balmesium, ut corpus nostrum aut ceteras extraneas res in mentem nostram agere, quæ sit ipsa et conscientiæ et repræsentationum omnium fons atque principium. Aguntur ergo apud nostrum omnia tamquam animæ ipsius profecto sit in nobis conscientia quædam ; hoc equidem non impedit quin nos ad ea demonstranda hortetur quæ sine probatione jam sciamus, quod vero ejus toti doctrinæ consentaneum est, cum in nobis conscientiam et rationem ens unum esse censeat ; ratioque ea illi demonstrare primum videtur nos, eorum quæ enumeravit, conscios natura esse. Dogmatismi causam aliter defendere posse certum est ; at concedatur de dogmatismo bene meritum esse nostrum qui adeo magnam conscientiæ et mentis activitatem esse professus sit.

Quod plures inter Scholasticos maxime queruntur, « poesis crimen » illud est quod illis, nescio quem « intellectum agentem » somniantibus, infert Balmesius. Jam eorum « intellectum possibilem » penitus obruerat noster cui intelligere jam « agere » quoque videbatur ; extraneis autem actionibus responsum dare, actionis modum esse quemdam existimabat. Quippe, non dubitat Balmesius quin *abstractas* ideas fingere sit quodam modo creare ; namque adeo *abstractionem* a mera ac simplici analysi separat, ut contra *abstrahere* nos non posse nisi intelli-

gendi principiorum auxilio credat. Operæ pretium est commemorare iisdem fere argumentis adversus Condillacium et adversus illud quod Scholasticorum empirismum vocare possumus, uti nostrum ; sed nihil in iis vere novi reperias ; ideoque ea silentio prætermittemus. « Actus intellectuales » ideas nostras cunctas esse vult ; non equidem negat in rebus ipsis species atque genera, objectivas demum *abstrahendi* rationes existere ; sed *abstractionem* ad mentem constanter refert tamquam ad principium, et mentem, non jam res, invocat ut abstractionem legitimam esse demonstret, ut videri potest cum de « generalibus et determinatis ideis » tractat ; nec eam facultatem nec quamlibet aliam a ceteris separat, quas omnes activas esse prædicat atque in se habere unde rerum quasi effigiem creent et se ipsas legitimas esse sciant.

Nec jam rationis nostræ exercitatio et intelligentiæ nostræ pars ea ex qua prima intelligendi principia procedunt, ab illo separatim considerantur ; continuo ad mentis naturam, omne quod mentale est, refert. Quod si, ait, a sensatione tantopere alienam generalis idea se ipsam esse demonstrat, quanto magis ab ea ideæ « primæ » dictæ differe debent, quippe quorum ope generales ideæ jam conficiantur? Nonne, exempli causa, quævis idea generalis, entis absolute indeterminati ideam jam continet ? « Intellectus actus » ergo sunt omnes ideæ ac eæ peculiariter quæ primæ dicuntur. Hominem cum Deo strictissimo conjungi vinculo non infitiatur noster et ad Deum sæpe, quodcumque in nobis agitur, refert ; at necessarium non putat extra nos, quod nobis maxime essentiale est, a philosopho quasi projici : ut superioribus inferiora, ita intimis intima explicare curat. Per Dei igitur voluntatem, mentis nostræ naturam atque excellentiam, per intelligen-

tiæ activitatem, rationis activitatem, per mentis naturam, mentalium virium exercitationem, per fidei vim quam sibi ipsi mens nostra necessario habet, certitudinem et impossibilitatem scepticismo diu adhærendi explicat Balmesius. Atque, dum cunctas quas vocat « reales veritates », inter quas nostram extensionis sensationem in primis locavit, percenset, illi videtur nos neque « veritatibus idealibus » sublatis, ullam « realem veritatem » affirmare posse, nec, extensionis quadam « idea a priori » adempta, extensionis habere posse sensationem. Inde sequitur, ut ejus quidem sententia est, per mentem ipsam, imo, per intelligentiam potius quam per rerum in se sumptarum proprietates, explicandas esse non tantum ideas, sed etiam sensationes nostras ; nec non hunc impetum ipsum quo apud Deum omnis certitudinis fontem repetimus, ad mentis ipsius activitatem primo refert. Cum igitur ea sit hæc mens in qua tam perfecta, si Balmesio crediderimus, splendet unitas, quomodo quamlibet ejus partem in dubium revocemus ? Quomodo rationis exercitationem inter et communem sensum distinctionem quamdam faciamus ? Utrimque enim eadem principia reperire est, et instinctus quidam id jam profecto est cujus ope rationi natura ac sponte credimus. Itaque voce non negemus quod corde in imo affirmamus, et cum philosophamur, ita dogmatismo faveamus ut jam favemus cum spontaneo mentis nostræ motu cogitamus !

Ad summam, in sua de mentis facultatibus doctrina, plane dogmaticum se præbet noster, sed mentis, non autem rerum neque divinæ illuminationis virtute, omnium quæ in mente aguntur rationem primo reddit. Non, ut Scholastici, alias ab aliis facultates neque, ut tot recentes.

*philosophicum* a spontaneo cogitandi modo penitus separat ; in mentis autem activitate ut una atque spontanea, quærit unde dogmatismum defendat. Dum de criteriis tractabat, minus quam dum de certitudine in universum disserebat, instinctui tribuere videbatur ; quamobrem Balmesium de facultatibus loquentem minus etiam instinctum curatum esse forsitan credas ; at hoc injuria : quo enim magis rationem considerat, eo magis in ea quærit unde ei nos « natura » fidere demonstret. Itaque sic ut sequitur concludimus : apud Balmesium, quod maximi momenti est de materia ea quam in hoc opusculo tractamus, illud est quod ad certitudinem pertinet ; quæ autem ad criteria vel ad facultates, tamquam *confirmationes* tantum quasdam habere debemus.

Simplicior denique Balmesii quam Scholasticorum doctrina est : ideo brevius de illo loqui potuimus. Cum vero multi deterrime horum de facultatibus mentis doctrinam interpretentur, multique injuria plane scholasticum fuisse nostrum putent, operæ pretium erat in scholasticæ doctrinæ studium accurate nos incumbere.

# CAPUT IV

## DE PRINCIPIORUM ORIGINE APUD BALMESIUM

Balmesianæ doctrinæ partem illam quam nobis in animo erat explorare, hinc jam majore cum velocitate perlustrabimus ; namque non ad totam Balmesii de cognitione doctrinam attendere debemus, sed ad eam tantum quæ hujus opusculi titulo indicatur. Ac minus de Scholasticorum opinionibus loquemur, cum hinc jam multa aggredi nos oporteat quæ Scholasticos aut fere aut omnino latuerunt.

§ 1.

Nonnulli credunt innatas ideas a Scholasticis prorsus negatas esse ; nonne enim dicunt ii « nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu », quod « tabulæ rasæ » doctrinam accipere est. Sane, at eos « sensistas » (hoc utuntur vocabulo recentes Scholastici) injuria vocaveris, quando intelligentia nostra sensus nostros quasi penetrari et intelligendi principia nobis a Deo offerri arbitrantur. Ac, licet de hac nostræ intelligentiæ in nostros sensus actione non semper loquantur, a « sensitis » quantum absunt Scholastici qui sensum quasi viam esse contendunt veritatem intelligibilem inter et veritatis

intellectionem ! Adeo enim per sensationes ideas non explicant, ut ex ente intelligibili rationem repetant intellectionis nostræ. Apud autem « sensistas », sensatio est cognitionis initium, citra quod nihil repetere liceat. « Intellectum possibilem » et « intellectum agentem » ipsum activitate orbant, ut jam diximus, quod quidem non impedit quin eas nonnumquam « activas potentias » appellent ; de ratione eadem quoque profitentur ; quin etiam, verbum « innatum » apud D. Thomam reperias qui aristotelicum verbum « ἕξις » vertit in verbum « habitus » ; et quot intelligentiæ habitus, tot prima numerat ille principia. Ne autem in præcedentibus capitibus nos errasse putes : aliquid enim innati esse credere et activi quid menti tribuere, una eademque opinio sane est ; sed « potentiæ activæ » quibus modo alludebamus, ad animam potius quam ad mentem a Scholasticis re ipsa referuntur ; quin etiam, dum de potentia qualibet loquuntur Scholastici, potentiam non significant eam quæ in ente potentia illa prædito fundamentum habeat suum, sed eam potius quam habeat ens quodque ab alio quovis ente aliam quamdam formam accipiendi. At enim, id ens, quod nunc mutatur, hanc et illam formam accipere non potest ! Sane, at ne mireris : jam accepit aliam quæ novas eas aversatur : corporis ergo et animi constructio nec non notitiæ quæ jam mentem ornant ea sunt quæ, continuo, intelligentiam determinant atque finiunt. Quantum a recentium de innatis ideis doctrina absunt isti philosophi ! Denique, ut suo modo res ipsæ, ita suo Deus, humanæ intellectionis rationem apud eos reddere videtur. Jam concludere licet : omnia quæ intellectionem efficiunt, a Scholasticis extra mentem projiciuntur, ac ipse habitus, quem prædicat D. Thomas, nihil est nisi quidam nullum in mente fun-

damentum re ipsa habens habitus, cujus ope æternas veritates quasi foris contemplemur.

§ 2 (1).

Verum, contradictionem quam indicavimus, deprehendisse videtur noster. At verbum « innatum » vehementer reformidat, tam raro a Scholasticis usurpatum ; timet imprimis ne nimia humanæ menti tribuatur potestas et virtus, cum nimium homini dare, Dei partem minuere forsitan sit. Jure primum rudem eam doctrinam aversatur et pervulgatis argumentis confutat quam apud Cartesium invenisse putavit Lockius ; pergamus igitur et videamus quæ fuerint ipsius de hac materia sententiæ. Ideæ, ait Balmesius, nihil aliud nisi « mentis actus » sunt : itaque, qui nisi innatarum idearum auxilio hominem cogitare posse negat, idem dicit ac si asseveret mentem nostram agere antequam agere potuerit. Quid vero ? Num sint aliquid principia, priusquam iis utamur? Num, absque

1. La experiencia atestigua la necesidad de la excitation del entendimiento por la sensacion. IV. 193. — La elaboracion intelectual que experimentamos al pensar y que nos dice que hay dentro de nosotros una especie de produccion de ideas. Ibid. — Las representaciones sensibles... las ideas geométricas... las del orden intelectual, las ideas generales determinadas... y las ideas generales indeterminadas son actos de la facultad perceptiva. Las ideas generales indeterminadas son actos de la facultad perceptiva de los objetos bajo una razon general. Lo que hay innato en nuestro espíritu es la actividad sensitiva y la intelectual. El desarollo de esta actividad principia por las afecciones organicas. Hay algo á priori. IV. 201-207.— Ipsum lumen intellectuale... non est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati. IV. 194. — Vid. tot. lib. IV[1], cap. IV, in quo omnis idea « acto intelectual » vocatur. — Vid. peculiariter lib. II. VII. IX ; III. XII. XXIV ; IV, totum ; V. VI. VII. XI ; VI. III-V ; et conclusiones quibus omnes finiuntur libri.

sensibilibus atque intellectualibus (hic lockianæ « reflexionis » meminisse videtur) conscientiæ *factis*, per se sola quid habeant principia cujus ope clare cogitari possint? At demonstrari potest et initio nullas existere ideas et innati quid tamen quodam modo in nobis esse debere. Conscientia enim mundi existentiam ut ad sentendium stimuletur ipsa primo requirit, sed etiam sentiendi quoque potentiam ; quin etiam, in quantum conscientia, mera conscientia permanere non potest (Vid. quæ diximus in nostro de criteriis cap.) et alias in anima facultates esse plures requirit : nempe sensibilitatem primum, ut memoriæ, imaginationi rationique sint agendi occasiones, hasque deinde ipsas facultates. At ratio præsertim ante se alias in nobis facultates esse postulat ; namque « generales ideæ determinatæ » et imprimis « generales ideæ omnino indeterminatæ » nihil in mente, nisi earum notitiarum auxilio quæ ex experientia originem ducunt, esse possint. Attamen, addit noster, omne quod in nobis fit actionis nomine dignum est ; ideo mentis et animæ habitus quisque, mentis et animæ proprietas dici debet, proprietas scilicet aliquo modo jam determinata ac ea quæ activi quid jam possideat.

Exemplum autem præbeamus quoddam : sit trianguli idea ; actus mentis sane est ea, quæ ab hujus et illius trianguli repræsentatione penitus differt. Sitne innata trianguli idea ? Est equidem et non est. Sumas enim hinc « extensionis intuitionem » et illinc « limitis ideam » quæ entis et non-entis ideas continet, numeri denique ideam quæ unitatis ideæ ope, ex entis idea ortæ, formatur : omnia habebis unde trianguli ideam conficere possis. Nonnullos percepisti triangulos quia sentiendi facultate fruebaris, sed triangulum concepisti quia in mente tua jam erant et

« entis idea », quam concipiendi occasionem tantum dare poterat experientia, et « extensionis intuitio » quædam, quæ ab « extensionis sensatione » tantum differt quantum a sensuum activitate geometricæ ipsæ notitiæ. Sentire te primum necesse est, sed etiam concipiendi et sciendi facultatem habere, ut concipere et scire deinde possis ; quin etiam, ad extensionis illam intuitionem, « extensionis sensationem » referre videtur noster, qua de re obscurior nobis visa est ejus doctrina. Hoc vero, licet kantianarum « sensibilitatis formarum » nimiam « vacuitatem » increpet noster, Kantismum redolet. Addit quoque Balmesius in omni judicio, ubi de existentia tantum aut de relationibus affirmandis agitur, entis idea uti mentem ; existentiæ denique « realis » ideam ad instinctum veluti ad fontem refert. Itaque injuria mireris eum omnes seu « geometricas » seu « non-geometricas » (nempe ad scientiam pertinentes, metaphysicas quoque et practicas) ideas ex entis idea semper nec non sæpe prorsus nasci, et omnis cogitationis mentem, ut activitate spontanea præditam, causam et principium esse, prædicare.

Ne vero dicas nihil novi Scholasticorum doctrinæ addidisse Balmesium, cui ut iis, entis idea « proprium intellectus objectum » esse videtur. Concedunt equidem in nobis innata esse quædam, sed neque ut nos neque ut Balmesius ; nec extensionis intuitionem innatis elementis annumerant. Hoc quoque animadvertere te expedit : principia potius quam ideas primas commemorant ; Balmesius autem potius ideas. Verum, ne te lateat eum simul de principiis loqui, cum illi principia veluti ideæ primæ in actu vel, si hoc verbo uti licet, *viventes* videantur.

Quamquam balmesianas inter sententias plures increpare licet, unum recte ac merito laudabis : eum non jam, ut mos est Scholasticorum, extra mentem illud quærere cujus ope pro mente dicere possit, sed mentis spontaneam activitatem tantum considerare. Quippe, si ceteras inter activas naturæ vires, vis activa mens quoque haberi debet, quis est qui id ipsum contemnere audeat quod agit ea vis? Munere suo fungatur et mens! Laudabis quoque Balmesium quia mentis *originalem* naturam nimis determinare non vult : determinetur, cum sane pro nihilo sit indeterminata quæque res! Ne autem nimis determinetur, cum *facta* et ipsa Logica hoc vetent!

Ea quarta est doctrinarum quarum ope doctrinam suam de certitudine confirmare posse putat Balmesius.

## CAPUT V

### DE PRINCIPIORUM NATURA APUD BALMESIUM (1)

Cujusque humanam investigantis certitudinem, maximi certo refert subjecti et prædicati vinculum accurate considerare atque ejus naturam penitus introspicere ; Balmesii autem imprimis, qui nihil nisi analyticum evidens esse agnoscit, quia nihil pro « syntheticis a priori principiis », si hujus modi principia sint (quod negat) spondere cogitat. At primum videamus quomodo errasse Kantium demonstret.

Quid de hac materia censuerint Scholastici, satis constat : illi « evidens », « analyticum », « per se notum » et « a priori », idem significare credebant. Nulli equidem doctrinas in quibus omnia in imo unum esse prædicatur,

1. En todo juicio hay percepcion de identidad ó de no identidad. — El verbo es no expresa union de predicado con el sujeto, sino identidad. I. 266. — En los axiomas percibe el entendimiento la identidad del sujeto con el predicado, viendo por intuicion que la idea de este se halla contenida en la de aquel. I. 265. — Igualidad en las matemáticas significa identidad. I. 268. — La idea es única, constante. Ibid. — Todo conocimiento del órden ideal se hace con la intuicion de lo que hay en un concepto... no hay mas síntesis que la necesaria para riunir sus conceptos en uno total que nos sirva para el descubrimiento de la relacion de los parciales. I. 292. — Idem dicit « de la evidencia inmediata » et « de la evidencia mediata ». I. 289. — Dios entiende por medio de una idea única, que es su misma esencia. I. 42. — Vid. peculiariter lib. I. XXVI-XXIX.

magis aversati sunt ; dum vero scientiam in Deo, ut perfectam, ita unam necessario esse putant, omni propositione identitatem quamdam affirmari jam implicite contendunt. Scire iis est *reducere*, sive prædicatum in subjecto videre, sive demum axiomate « A est A », ut ita dicamus, continuo uti. *Esse in aliqua re* iis semper *alicujus rei pars esse* visum est. Hanc Scholasticorum sententiam fideliter sequitur Balmesius.

Omne judicium, ait, perceptio est « identitatis » aut « non-identitatis ». Dum enim dico : « Papyrus est alba », de « albo colore » minime loquor, sed de « quadam alba re » sive de hac papyro. Quia ergo de quadam alba re loquor, dum dico : « est alba », « album » ex « ista papyro » analytice quasi extraho. Deinde mathematicas aggreditur propositiones ac æqualitatem identitati simillimam esse contendit ; non vero quod 6 + 3 et 9 (arabis signis uti liceat) idem absolute illi videantur sed quia 6 + 3 et 9 duos idem concipiendi modos esse credit : aliis verbis, 9, pariter ac 9 profecto esse 6 + 3 putat. Namque, fingamus, ait, a 7 + 5 ad 12 analytice transire nobis non licere ; num quis a 12 ad 7 + 5 (quod equidem et oporteat quoque contendere) analytice transire, nobis non licere dicat ? Minime ; manifesto enim in 12, 7 + 5 facillime reperiuntur. Non negat quidem noster 7 + 5 ab illo qui nondum cogitat 12, cogitari tamen posse, posse quoque 12 ab illo qui nondum cogitat 7 + 5 ; sed, ait Balmesius, dum ita res aguntur, hinc 7 + 5 et illinc 12 nondum perfecte cognoscimus. Ubi ad « intuitionem » Kantius, ad hoc quod « reflexionem » vocat confugiendum esse asseverat noster. De geometria similiter sentit Balmesius qui sic analyticas esse geometricas demonstrat propositiones : sit, exempli causa, ea propositio : cum

duarum circumferentiarum æquales sunt radii, et circumferentiæ sunt æquales. Quid vero ? Num duas circumferentias cogitamus ? Nonne potius circumferentiam unam, « idealem » scilicet, in qua continetur idea quædam quam sic exprimere possumus : circumferentiæ cujusque longitudo e radii longitudine pendet ; duæ ergo quæ considerantur figuræ nihil aliud sunt nisi hanc « idealem » figuram considerandi duo modi. Cum dicis « circumferentiam » et deinde « $2 \pi r$ », de eadem re, licet secundum modos duos, loqueris. Dum ideo algebra ad geometriam conficiendam velut auxilio uteris, mentem tuam ad illas quantitatis generalissimas leges effers, quibus et continua et discreta quantitas æque parent : tunc, in geometricis relationibus, numerorum relationes in illis re vera existentes perspicis atque, ut ita dicam, legis. Ceterum, ne credas in geometriæ postulatis saltem, synthetici quid reperiri posse ! Nam, exempli causa, in rectæ lineæ idea, rectitudinis et brevissimæ viæ jam continentur ideæ. Summatim, quotiescumque de re qualibet doctiores efficimur, nihil aliud quam per gradus omnes rei unius partes adspicimus. Quidam, ut Pascalius, multa simul conspiciunt, sed Deus, isque solus, omnia in una cognoscit idea. Quid demum scire, nisi divitias in idea quaque quasi inclusas paulatim videre ? Quæ cum ita sint, omnes de singulis rebus ideæ, unius et ejusdem ideæ sunt partes et earum nexus partium verbo « est » significatur. Omnes ergo de qualibet re propositiones analyticæ sunt, ac si propositionis naturam plane perspicere curas, quid in se sint rerum ideæ, non autem quomodo nos eas multo cum labore per gradus construamus, considerare debes.

Præterea Balmesio videtur nullam propositionem analyticam dici posse si, ut ex eis vocetur analytica quædam,

necessarium sit subjectum atque prædicatum absolute identica esse ; tunc enim, vix analyticum sit identitatis principium, nec jam pronuntiata ut hoc ipsum : parte majus totum est. Quod si, addit noster, tam sæpe in syllogismi locum enthymema adducimus, causa est quia quod sequitur in præmissis immediate videmus. Denique, dum de qua re disputatur, num a disceptantibus aliud increpatur vitium, nisi contradictio in quam equidem pluribus modis incidimus ?

Vehementer autem erres si in judicio activam non videri mentem Balmesio putes. Mente enim, ut sentit ille, judicio viæ præparantur, quippe quæ idearum partes separatas cogat, conceptus introspiciat, jam agregata inter se conferat « identitatesque » affirmet. Rejiciatur, ait, τό « X » Kantii ; judicandi, sive plures ideas in quemdam « conceptum totalem » cohibendi facultas, ad « comparandi facultatem » redigatur !

Cur autem in hac tractanda materia tam longo labore desudaverit Balmesius, breviter dicamus. Illi etenim primum videtur nulla esse signa quorum ope vera (si forsitan sint hujusmodi judicia) synthetica a priori principia, a propositionibus ex libidine prolatis, clare atque distincte dignoscantur ; fingas deinde non errare nostrum : confestim plures perdifficiles solvuntur quæstiones ; nam, si algebræ et geometriæ, si mathematicæ et physicæ, si physicæ et metaphysicæ nexus pro analytico reputandus est, quomodo minimam nostrarum scientiarum partem in dubium vocare possimus ? Nemini, nisi insano, dubitare licebit. Denique, in Deo perfectam esse scientiam vult noster, et unitatem inter perfectiones annumerat : cum ergo analytica sit in Deo cognitio, et in homine, si bona est, analytica esse debet cognitio.

Unum denique animadvertamus, pronuntiatum hoc « Omne evidens est verum » numquam analyticum a Balmesio vocari, nec tamen syntheticum ; at memineris id principium ab eo non ad rationem sed ad instinctum referri ; quam quidem excusationem pro nostro afferre liceat.

---

## CAPUT VI

### DE RATIONIS VEL STRICTISSIMA UNITATE, ATQUE DE EJUS HABILITATE AD ENS IPSUM QUASI CONTINGENDUM, APUD BALMESIUM (1)

Dogmaticus quisque, si saltem parvo non est contentus, quærere debet num cuncta cognitionis elementa prima (principia nempe et ideæ primæ) stricte cohæreant? Nec hujus modi quæstioni responsum id esse potest quod dogmatico placeat, nisi responderi potest : « Ita plane est, ac cuncta ea elementa (si a siderali scientia verba hæc mutuari licet) *circa entis ideam quasi feruntur.* »

Hoc autem minime curabant Scholastici, cum magis

1. La unidad de la razon humana. IV. 3. 9. — La idea de ente es una forma necesaria á toda percepcion ; la existencia entra como una condicion de todo lo percibido. V. 47. — Es necesario suponerla. V. 53. — El fundamento de la posibilidad pura de las cosas, y de sus propriedades y relaciones se hallan en la esencia de Dios. Ibid. — La condicion (que se envuelve en cuanto la posibilidad se afirme ó niegue del objeto posible) es la existencia de los objetos considerados. V. 55. — Aun cuando admitiéramos que para nuestro espíritu no hay intuicion que la sensible, no se inferiria que los conceptos del órden intelectual puro fuesen formas vacias. IV. 89. — Como el ser que pieusa tiene por necesidad conciencia de sí propio, ningun ser pensente puede estar limitado al conocimiento de verdades ideales puras. — Videas, de ente pro omnium idearum fonte habito : II. VII. IX ; III. II-IV ; V ; IV. V ; VII. IV-IX. XVII-XIX ; VIII. III. IV. VII ; IX. I ; X. V-X.

essent dogmatici quam ut hæc perspicere necessarium putarent. Principia tamen, idearum primarum sæpius immemores, circa contradictionis principium plerumque cogunt; ac conceptus omnes sive ad substantiam sive ad accidens, quæ suprema vocant « prædicamenta » sæpe referunt; nunc enim « ens », nunc « universum », intelligentiæ objectum proprium esse prædicant, sed nullam umquam apud eos psychologicam omnium a priori elementorum deductionem ab unico fonte effectam invenias. Balmesium contra, licet ideas primas magis quam principia prima curare videatur, et hæc et illas ab entis idea deducere conatur.

At ejus doctrinam breviter exponamus. « Nulla potest res esse et non esse in eodem tempore et sub iisdem conditionibus »; id est pronuntiatum illud quod contradictionis principium vocatur, quod equidem in entis idea sine dubio ullo totum jam continetur. — Ac mathematica axiomata, quæ saltem ad numeros pertinent, hujus principii sunt modi. — Causalitatis quoque principium, contradictionis principio ut medio uti si volueris, ad entis ideam reducere poteris; quod jam suspicatus est Galuppius qui causalitatis principium ad aliud, quod « anterioritatis » vocabat, reducere instituerat. Ita ratiocinabatur Galuppius : quod efficitur, essendi initium sumit, nam hoc unum cui nulla sit causa, nullum habeat initium; dum vero occipit A, in locum τοῦ non-A venit A; aliis verbis, oritur A in temporis puncto quodam N, quod in locum temporis alius puncti, puncti nempe M, subiit; sed temporis punctum quodlibet in quo nihil existat, nihil esse potest; aliquid ergo fuit in temporis puncto M; ergo, antequam existat A, existit jam quoddam B; « sublata

antecedente existentia quadam, nulla initium sumere potest existentia quælibet ». At Galuppio, ait noster, nimia temporis cura est, nam in eo, separatim considerato, nihil reale restat. Atque in causalitatis idea, amplius quid est quam in « anterioritatis » idea. Inter A enim et non-A, aliqua relatio est ; sed ut intelligibilis sit ea relatio, vere existere hæc, inter quæ sit relatio, recte judicabis ; quin etiam, necesse est admittas in eo, quo temporis punctum A quasi completur, reperiri posse rationem per quam τοῦ A existentiam explicare possis. Causam ergo habere est ab aliqua re, anterius existente, existentiam accipere. Sic gradatim manifesto apparet causalitatis principium in contradictionis principio quasi contineri. — Necessitatis pariter ideam in hoc principio contemplari poteris : dum enim aliquid necessarium esse judicamus, hoc agimus, ut contradictionem vitemus, quam, si necessitatem eam affirmare dubitemus, vitare non sit possibile. — Temporis et substantiæ ideas et ipsas facile ad entis ideam, principio contradictionis quasi fecundatam, facile rediges. Esse enim est durare ; dum nihil mutatur, id quod non mutatur et tempus in quo nulla est mutatio distinguere non potes : tunc præsens momentum re ipsa permanet, quod equidem in Deo solo reperies. Inter creatas vero res, nulla est quæ necessario existat, nulla quæ simul sit omne quod fieri aut potest aut debet. Ergo, durare, apud creatas res, idem est ac successionem admittere. Quid inde sequitur, nisi occipere idem esse ac primam pati mutationem ? Mutationis autem idea synthesis est idearum entis et non-entis, quam ipsa ab entis idea manare constat. Successio, ergo, « præsentium » quasi series est et summa quædam : cum quod nunc cogitatur nunc esse cogitari non potest, alterum fingimus præsens

quoddam; verum, cum in eo de quo agitur aliquam deprehendimus rationem cujus ope quod præsens jam judicatur explicari debet, hoc præsens « præteritum » vocamus; cum denique in præsenti videtur esse ratio hujus quod immediate præsens esse non putamus, « futuri » notionem excogitamus. Tempus ergo ens ipsum est, et illius ad hoc, contradictionis principii gratia, efficitur reductio. Quæ cum ita sint, nullum vitium est si in contradictionis principio temporis notionem jam includis : nonne entis idea hujus principii essentia est, et ens atque tempus una et eadem idea sunt? — Nunc autem hinc entis idea quæ « permanentis » idea quoque est, et illinc « distinctionis » idea (quam facile acquirimus cum hujus quod permanet et illius quod non permanet distinctionem sponte facimus) considerentur : earum synthesis idearum quas jam enumeravimus et explicavimus, « inhærentiæ » idea profecto est, ex qua « non-inhærentiæ idea statim procedit. Ita qualitatis et substantiæ nascuntur ideæ. Ne vero dicas te nihil aliud obtinuisse nisi cujusdam phænomenon concentus ideam ; in inhærentiæ enim idea, altera reperitur quæ est cujusdam inter phænomena nexus : ac contradictorium plane sit hunc nexum ad phænomenon concentum mere redigere, quippe cujus concentus partes quæque aliæ ab aliis prorsus differant atque mutabiles sint. — Tres denique ex entis idea immediate procedere videntur ideæ, unitatis scilicet, infiniti limitisque, cui jam alludere debuimus. « Ens et unum convertuntur » aiebant Scholastici, sed unitatis ideæ alter est sensus : nam verbo « unitas », rei quæ est « distincta realitas » primum intelligenda est : « esse », primo loco, « unum ens » esse crede. Entis nunc et non-entis ideas iterum componas : limitis ideam quæ eadem est atque distinctionis idea,

statim habebis ; ac si limitis ideam cum non-entis idea junges, infiniti ideam formaveris. Parum equidem refert si inter eas ideas quædam deprehenduntur quas ad res existentes referre nequeas : cunctas nihilominus in nostra nasci mente certum est.

Attamen, in ima intelligentia, non entis idea tantum, sed aliud etiam reperiri posse nostro videtur, in quo intelligentiæ essentiam consistere quoque contendit ; ea est quædam « extensionis intuitio » quam accurate ab ea exstructione dignoscit, cui « spatii idea » aut « perceptio » nomen est. Quomodo vero extensionis intuitionem cum entis idea tam arcte conjungere potest Balmesius ut, licet ab altera alteram discernere velit, mentis unitatem non frangat? Extensionis analysim persequitur ; ac primum ab « extensionis sensatione » ad hoc quod « extensionis ideam » vocat, transit ; deinde, « reflexionis » adhibito auxilio, hanc considerat nec aliud in extensionis idea invenit nisi « realium simul existentium multiplicitatem quamdam inter quæ sint plures relationes » ; ut sensatio sive ut intuitio (possibilem autem facit sensationem intuitio), ait, aliquid continui est extensio, nullum vero intelligentiæ objectum ; ut idea contra, entis forma quædam est, nam quid multiplicitas vel simultaneitas vel quælibet relatio, nisi essendi totidem modi? Omnes ergo mathematicæ res, ut ceteræ, in entis idea suum fontem habent.

De existentiæ autem idea minime curasse hic videri potest noster; at numquam fit ut ea separatim utamur; quælibet enim essentia quodam semper modo existit, cum in Deo saltem possibilia quamdam habeant existentiam ; dum de quavis disseris existentia, de aliqua essentia semper loqueris ; essentia quædam est illud quod existere

dicitur : ejus autem idea ad entis ideam redigenda est, ergo existentiæ idea quoque. Denique, cum, secundum ipsum, existentiæ et essentiæ ideæ unum quodam modo sint, Balmesium ne vehementius reprehendas ad entis ideam plura redigentem quæ ad existentiæ ideam potius reduxeris ipse (1); neque existentiæ ideam inter rationalia elementa explicite locare poterat ille qui instinctu quodam « existentiam realem » affirmari contendit (2).

Rationem humanam nostro unam videri ostendimus ; atqui ens est unum convertuntur ; ergo inter ea quæ *sunt*, aliquid *est* et ratio nostra ; imo, de ente cogitare atque etiam speculari rationis munus esse declarat et demonstrat. Illi quoque videtur ideas nostras alias in aliis et omnes in entis idea analytice contineri. Quidquid ergo de balmesiana putas doctrina, multa pro sui ipsius dogmatismo fecisse nostrum fateberis.

1. Exempli gratia, possibilitatis necessitatisque ideæ.

2. Contradictionem aliquam in nostro esse non negamus ; eum tamen defendere omni ope conamur.

# CAPUT VII

## DE OBJECTIVÆ COGNITIONIS SUBJECTIVA ATQUE OBJECTIVA POSSIBILITATE APUD BALMESIUM (1)

Ratiocinari et credere dignoscit Balmesius, sed quod separavit cito conjungere curat; illi quoque, ut modo

1. El espíritu no puede pensar fuera de sí mismo : lo que conoce, lo conoce por medio de sus ideas. I. 248. — Las verdades ideales son absolumente incapaces de producir el conocimiento de la realidad I. 138. — Tómese una verdad cualquiera, nada se puede sacar de él si no se le fecunda con verdades reales. I. 68. — La física no es completa si no pide sus luces á la metafísica. III. 161. — ¿ A que se reduce nostro entendimiento si sus ideas mas fundamentales y sus principios mas elevados no tienen ningun valor para enseñarle algo sobre la naturaleza de las cosas ? IV. 67. — Vid. tot cap. xvi. IV : La valor de los principios independientemente de la intuicion sensible. — Las verdades generales serian vanas ilusiones si no se refieran á algo particular, existente ó posible. IV. 152. — La teória de la geométria realizada abraza todas las ciencias que tienen por objeto la naturaleza. III. 34. — La idea del ente es indispensable para todos los actos intelectuales, V. 6 ; en sí, es absolumente indeterminada. V. 7. — De la idea de ser y no ser combinadas con las intuiciones nacen todos nuestros conocimientos. V. 117. — Los grandes adelantos cientificos son todos con relacion á los objetos, no al sujeto. Las ciencias exactas, las naturales y tambien las morales, aun las ciencias metafísicas son puramente objetivas. I. 230. — La presencia de una cosa distinta de nuestro ser nos causa tales ó cuales sensaciones. II. 31. — Sin esta verdad objetiva, es imposible todo raciocinio, todo juicio, todo pensamiento. I. 255. — En el universo corporeo en su esencia, no hay necesidad de suponer nada que sea semejante á la representacion sensible, pero sí es necesario suponer una correspondencia

vidimus, de ratione et de ente ita disserere placet ut non verbo « ens » aliud nisi entis ideam significet; mundus vero hic qui re vera existit, illud est quod cognoscere posse vult Balmesius, nec nescio quod *abstractum* existentiaque orbatum ens, nec ens quoddam nihil cum hoc mundo communis habens. Ejus inde refert ostendere et illud : in se ipsa, atque in scientia quam sponte ædificat ratio nostra, reperire posse rationem nostram unde sua mentis viribus fides plane *confirmetur*. Ne vero *probationes* intelligas ubi consulto et sedulo *confirmationes* dicimus; adeo enim probationes de certitudinis humanæ excellentia afferre non cogitat, ut eam excellentiam (ut in primo capite nostro diximus) non probare sed tantum monstrare velit.

§ I.

Confirmationum autem earum duas, nec minimi quidem momenti, in hoc capite exponemus. Primo loco, animæ, extranei mundi et Dei existentiam rationis auxilio demonstrari posse commemorat Balmesius, unde jam objectivam certitudinem in subjectiva mentis activitate reapse fundari sequatur; at præter id, alia proponit argumenta pertrita minus ac quæ interdum Kantismum redolent. Ut enim diximus, nullam ad scientiam pertinentem neque communem sententiam expromi posse contendit

entre el objeto y la idea. III. 181. — No se puede explicar el por que se halla en nuestra alma la representacion de la extension... tales nos ha hecho el Criador. III. 127. — El gran problema de la filosofía no está en explicar la posibilidad de la experiencia; sino en señalar la razon de la conciencia de la experiencia. III. 124. — Vid. tot. lib. I; peculiariter cap. XXV — II. IV-IX. — III. XVII.XVIII. — IV. IV-VII. XIII-XVI, XXIV, XXV. — V, VI, VIII.

noster quin principiis et ideis primis jam utamur; atque in ipsa extensionis sensatione aliquid a priori deprehendere cogitat. Cum vero phænomena pro cujusdam generis rebus habeat, nec, in hoc, Kantismo adhæreat (illi enim videtur Kantii phænomenon [*Erscheinung*] nihil esse nisi vana species [*Schein*] quædam), sibi ipsi consentit Balmesius dum nobis quodam modo dicit : « reales » permultas veritatis accipitis ; accipite ergo « ideales » quoque, ac eam metaphysicam quam « idealium veritatum » auxilio sponte mens ædificat ; nulla enim ratio est cujus ope in scientiis nos elementis a priori jure uti, in metaphysica autem nos iisdem principiis injuria uti, demonstrare valeatis ! — « Ideales veritates », Balmesio duce, nunc consideremus : quid statim evenit si, sublatis omnibus sive a conscientia sive a sensibus datis *factis*, eas tamen cogitare conaris ? Ad nihilum plane rediguntur, nec minima, in te, *positiva* (ut ita dicamus) permanet cogitatio. Si autem aliquid apud Balmesium modo invenimus quod Kantii « metaphysicæ deductioni » similius videbatur, nihil profecto ejusdem « transcendentali deductioni » simile invenire poterimus ; Kantius enim quodam modo dicit : est cogitatio, ergo et possibilis est ; atque omne quod a priori nomen habet, ad « cogitationem » refert, et « possibilitatis cogitationis conditionem » vocat ; Balmesius autem sic aut fere loquitur : ideales veritates cognoscimus plures ; atqui, ut eas cogitare possimus, duo vel maxime necessaria sunt : primum quidem, ad ens in universum sumptum, veritates *abstractas* quas cogitare volumus, referre ; alterum autem, simul atque ens illud, alia, sensibus scilicet et conscientia oblata phænomena, cogitare ; nam ad ens non itur nisi jam cogitatis phænomenis quibusdam. Quid vero inde sequitur ? Nobis in

promptu est responsio : ut enim quicumque phænomena cogitat, cujusdam generis res nec non veritates illas ideales (nempe principia ideasque primas in iis inclusas) quorum ope ædificatur metaphysica, jam cogitat, ita, quicumque veritates ideales cogitat, hoc agere non potest quin simul ens in universum, sive metaphysicum et ens phænomenale cogitet ; imo etiam, metaphysicum ens non concipi potest quin hæc entis genera duo pro uno atque eodem, in imo pectore habeamus. Quæ ideo cum ita sint, jure dicas phænomenon scientiam entis scientiam jam esse ac metaphysicæ quasi primam partem, metaphysicamque pro quadam mere *abstracta* scientia non habendam esse, sed potius pro entis notitia quod re ipsa existat et per phænomena manifestatur. — Nonne, ait etiam, *facta* ea quæ ad « reflexam conscientiam » (exempli causa, intellectualium operationum notitia aut ea quæ in aliorum hominum conscientia per nostram quasi percipimus) pertinent, metaphysici quid jam præbent ? Nonne, insuper phænomena, scientia ut decet cognita, fundatur metaphysica ? Ergo scientiæ quasi perfectio metaphysica est, ut hujus illa pars jam est. — *Subjecti* demum *cogitantis* activitatem si bene consideraveris, cognitionis objectivitatem in *subjecto* firma habere fundamenta plane videbis.

§ 2.

Verumtamen alteram sibi proponit quæstionem Balmesius quam sic enuntiare quimus : num, cum mundi, animæ Deique existentiam et naturam cognoscere tandem putamus, nobis sit possibile in iis rebus reperire unde eas

« in se cognoscibiles » esse demonstremus? Ita est, ait noster, ac in hoc etiam sibi constat humana ratio; earum enim rerum notiones evolvas, ac fingas quemdam esse mundum in quadam entium multiplicitate consistentem, quæ inter se multimodis relationibus conjungantur; fingas quoque Deum esse quemdam legislatorem, qui mentes nostras inter et res commercium quoddam esse velit, sed ita ut mens, ad agendum, a rebus impellatur (non autem ut mens a rebus quasi moveatur); fingas denique mentis munera esse ut impulsus a rebus acceptos in plures sentiendi modos convertat, ideasque primas quasdam concipiet ac, ut ita dicamus, tractet : adeo in his omnibus rebus non est quod cum iis quæ finximus pugnet, ut ab ipsa ratione de anima, mundo Deoque sic sponte censeatur; imo, omne quod ratione requiritur jam habes ut deinde nobis in promptu esse rerum veram cognitionem, intelligere possis : quippe, statim fit manifestum, rerum essentiam, quamquam parum, aliquanto saltem. a nobis cognosci posse, ac animam mundumque legibus parere fixis, quas nos, « sensibilium specierum » *(rerum in se* mutationum imagines quasi *symbolicas* his verbis intelligere debes) ope, assequi possumus; sequiturque non tantummodo inductionum nostrarum certitudinem haud dubitandam esse, sed etiam, cum quodam modo extensio et quantitas in rebus sint ipsis, mathematicam quodam modo esse mundi extranei essentiam, *physicam-mathematicam* ergo prorsus legitimam esse; denique, quando ab ente ipso phænomena procedunt, et ens primorum principiorum ope cognoscitur, scientiæ objectum pro vero habendum esse, ac te iisdem, quibus in metaphysica uteris principiis, et in scientia uti posse. — Summatim, doctrina quam de ente et phænomeno sponte profert ratio

nostra, ea esse videtur quæ nobis præbeat unde metaphysicæ veræ et scientiæ possibilitatem nec non et ambarum unitatem intelligere possimus.

§ 3.

Operæ denique pretium est separatim considerare quid de « experientiæ possibilitate » proprie senserit noster. Quo fit modo, ait, ut apud *subjectum* possibilis sit experientia ? Experientia, si Balmesio quidem crediderimus, primum postulat ut cogitationis *objecta* pro veris atque in se existentibus habeantur, legesque, quibus nobis parere *objecta* videntur, re ipsa eorum leges esse putentur : quippe, nisi hujus modi sententiæ in nobis natura sint, vera et falsa dignoscere nequeamus ; mens alioquin nostra sive *objecta* quædam, sive vanorum *objectorum* vanas quasdam imagines sive denique naturalium legum ideas per se solam quasi ex nihilo creandi potentiam sibi vindicare non potest. Ut ergo possibilis apud *subjectum cogitans* sit experientia ea cujus ope falsa et vera dignoscimus ac mundi phænomena intelligimus, atque, quod quidem idem est, ut ejus possibilitatis rationem reddere possimus, dogmatismo cuidam adhærere nos oportet : *subjectum* ipsum postulat ut existant *objecta*. Nunc autem mundum, animam Deumque esse fingas : tunc quomodo moveantur sensus, producantur sensationes, prima cogitentur principia, mundique aliqua, experientiæ ope, gignatur cognitio (quam cognitionem veram esse aliter demonstrat Balmesins ; conf. supr., § 2) explicare, tibi in promptu erit. Quantum a Kantio absit noster notare, haud utile judicamus.

Ea sunt argumenta quorum ope Balmesius duo hæc probari æstimat : primo loco, in *subjecti* natura, cognitionis objectivitatem fundari ; deinde a *subjecto* quamdam *objectorum* conceptionem sponte formari quæ ea cognoscibilia (ut aiebant Scholastici) esse demonstret. Quod vero possibile, et necessarium esse se ostendisse putat ; ac hujus modi argumenta pro dogmatismi sui *confirmationibus* habet noster.

## CAPUT VIII

### QUID DE « TRANSCENDENTALI SCIENTIA » ET DE « COGNITIONE PER IDEALITATEM » SENSERIT BALMESIUS (1)

Quamquam quæ nunc aggressuri sumus ad balmesianam de cognitione doctrinam præsertim pertinent, nobis ea silentio prætermittere minime licet. Illi enim non tantum videtur majora eos conari « scientiæ transcendentali » quicumque favent, ac repræsentationem in universum sumptam a multis vitiose finiri, sed etiam de his rebus sibi ipsi disserendum esse ut certitudinis quæstionem perfectissime solvere tandem possit.

1. Ningun verdad real finita puede ser orígen de todas las demas. I. 66. — Aun suponiendo que en el órden de la creacion hubiese un hecho primitivo, tampoco habríamas encontrado la verdad real fuente de toda ciencia, pues con esto nada adelantaríamos con respecto al mundo de la posibilidad, es decir al órden infinitamente major que el de las existencias finitas. I. 69. — El yo, en sí mismo, como sujeto, no es punto de partida para la ciencia. I. 72. — No hay ninguna verdad ideal orígen de todas las verdades. I. 138. — Un hecho, una verdad objetiva, un criterio (hæc tria in cartesiano ipso principio includuntur). I. 68. — La representacion por identidad... nuestras ideas se hallan en este caso..., ni se identifican con los objetos ni los causan. I. 128. — Todo lo que representa contiene en cierto modo la causa representada. I. 115. — Dios entiende por medio de una idea única, que es su misma esencia. — Vid. peculiariter lib. I. cap. IV-XXVIII.

## § 1.

His verbis : « Transcendentalis scientia » significat noster systema quodvis in quo ab unico principio quolibet proficiscatur philosophus : itaque evenit ut adversus Condillacium et Kantium fere similibus argumentis utatur. Ac arbitratur noster in ipso statim limine cogi qui uno tantum principio primum uti velit, nec non ad subjectivismum, sive ad atheismum, sive ad pantheismum et in finem ad scepticismum, doctrinas ut sibi ipsi contradictorias ita vero contrarias, necessario devenire.

Poteritne philosophus sive ab una « reali veritate », sive ab uno principio, sive ab uno criterio proficisci? Balmesii de his doctrinam breviter contrahamus. — Atque, primo loco, ad memoriam nostram quæ de criteriis dicta sint, revocemus : tria criteria inter se stricte cohærere demonstratum est, unde sequitur, exempli causa, nihil prodesse quod evidentiæ criterium, neglectis ceteris, consideremus ; imo, quid est tria simul necessaria habere criteria, nisi illud declarare : ad ratiocinandum, et *facta* et principia requiruntur? Conscientia enim criterium quidem est, sed et *facta* præbet ; atque « instinctus intellectualis » criterium est, sed ab eo procedit « existentiæ realis » idea ; evidentiæ denique alterum nomen ratio est, sive principia cogitandi facultas. Sed pergamas. — Quid futurum est si a « veritate reali » quadam tantum proficisci volumus? Si « finita » ea est, « contingens » quoque est ; nec in ratione nostra ullas « infinitas » deprehendes veritates. Quid sit vero, sublatis principiis, *factum* quodlibet? Fingamus tamen aliquem ex uno *facto* scientiam totam

evolvere nitentem; quamlibet eligat sensationem iste! In nulla nihil nisi quamdam rerum proprietatem inveniet, quam inter et ceteras nullam deprehendet relationem; in nulla de rebus ipsis aliquid certi reperire licebit, nihil quod nostrarum idearum rationem reddere possit. Alter ut Cartesius a τῷ « ego » proficiscatur! At Cartesius evidentia atque instinctu simul nititur. Ficheus autem ad quemdam « purum conscientiæ actum » sese extulisse videtur! At in eo actu merum « *abstractum quid* » videre nos oportet; quin etiam, non vitavit, ut putavit, Fichteus, hunc « circulum » quem sic exprimere licet: logicæ ope ad supremum logicæ ire principium. — Neque a « veritate ideali » quadam tantum proficisci possumus. In se enim vacuum est contradictionis principium illud ex quo procedunt cetera. Sumatne aliquis ut Fichteus pronuntiatum hoc : « Identica sunt *subjectum* et *objectum* »? *Objectum* ad *subjectum* quasi redigit Fichteus, in hoc perfectus Kantii discipulus; hanc ergo reductionem si quis pro legitima reputat, et *objecta* vere existere negat, principii petitionem quamdam admittit et propre pantheismum accedit; præter id, quicumque, etiam semel, nulla esse *objecta* contendit, et *objectum* illud quod nostram animam nomen habet, non existere affirmavit; quod mentem, memoriam atque conscientiam ipsam negare est; denique interna animæ phænomena cujusdam generis res sunt ipsa; quas, si re vera *objecta* jam esse absolute negas, nihil existere prorsus ac statim affirmas. Visne potius, ut Schellingius, *subjectum* ad *objectum* quodam modo redigere aut *subjectum* et *objectum* ad aliud quid, quod ea contineat, iisque superius sit? At hoc vetat scientia quam psychologiam vocamus; quin etiam, pantheismum non minus vitare potes; nihil deni-

que est quod pro verbis tuis spondeat, ac rationis principiis jam uteris quæ e tuo principio deducere cogitabas. Deus equidem omnium fons est sed te primum decet a te ipso et a mundo proficisci, a rebus scilicet quæ inter se ut *subjectum* et *objectum* differunt et in quibus Dei neque existentia neque natura immediate cognoscuntur. — Multa, quæ hic referre non expedit de kantianis multis dicit noster; quod vero ad « transcendentalis scientiæ impossibilitatem » pertinet, in septimo hujus partis capite satis explanavimus.

Ad summam, si Balmesio crediderimus, ut possibilis scientia sit, et criteriis et principiis et *factis* ab initio simul opus est. Quod si oblivisceris, in ipso statim scientiæ limine te stare oportebit. At ita stare non cogitur humana mens ! Doctrinas enim quibus, ut ita dicamus, essendi licentiam ipsismet denegatur, pro falsis habere debes, cum certudine te jure frui posse certum sit, ac ideo omnem doctrinam quæ ad scepticismum ducat, *in facto* rejicere possis. Ne vero credas te umquam ad scepticismum redire necessarium futurum esse : nonne enim contradictionibus scatent istius modi doctrinæ ? Ratio ergo eas aversatur, ac, dum aversatur, se ipsam aptam esse ad veritatem assequendam declarat. Quod demum instinctus cujusdam gratia jam scimus, ratione confirmatur ipsa.

Adversus eos qui « scientiam transcendentalem » apud hominem possibilem esse credunt, pugnandum erat ut rationis humanæ usus adversus scepticos defenderetur, sed in Deo reperiri eam posse nullus dubitet ! Apud enim Deum, « scientia transcendentalis » ea, *quæ apud nos scientiæ quasi ruina est*, unicus sciendi modus esse debet ; nam in una idea æternas veritates, earum quo-

que veritatum unitatem ac consequentia omnia, creaturas cunctas relationesque quæ inter eas et veritates æternas sint contemplari posse : hæc est perfecta cognitio. Ergo « intellectualis perfecti ordinis » contemplationem homo sibi non arroget ! Inductionibus operam potius det, rerum unitatem magis magisque perspicere nitatur et omnia ad Deum referat ! Homo es, ut homini decet scire satis ducas !

§ 2.

Quæ cum ita sint, quisnam sit, in eo quod ad repræsentationem attinet, cognitionis modus qui cum humana natura re ipsa concinere possit, exquiramus ; videbimus, ait, cum modo hoc legitimam certitudinem et posse et debere conjungi. Tribus vero cognoscitur modis, « per identitatem », « per causalitatem », denique « per idealitatem ». Quid autem est « per identitatem cognoscere »? Si de notitia ea agitur quam de se ipso ens aliquod habeat : ita cognoscere nihil est nisi per se sibi intelligibile esse ; si contra de alio quovis ente atque illo quod cognoscit agitur, ita cognoscere est aliquid contemplari quod per se intelligibile sit ; at, ut ens aliquod sibi ipsi intelligibile sit, necesse est primum hoc ens per se intelligibile esse : duo ergo hi cognoscendi modi, modus unus reapse sunt. Quid vero ? Esse per se intelligibile « majoris perfectionis » signum est quam intelligentia præditum esse : quod enim intelligentiam dare potest, et intelligentia jam præditum est et insuper intelligentiam dandi facultatem habet ; quodcumque autem intelligentiam dat « perficiens » dici debet, ergo « activum » quoque : ergo, quod immediata intelligibilitate præditum est, aut « actus

purus » est aut saltem materiæ parum jam inservit. At hominibus inferiora entia materiæ vel maxime inserviunt, ac nostra mens ipsa (quam interdum, ut Scholastici, « essentialiter passivam » dicit noster) e materiæ vinculis non omnino libera est : inde sequitur neque nos ipsos neque mundum hunc a nobis « per identitatem » cognosci posse. Deus autem absoluta intelligibilitas est, ergo idea quadam non indiget ut se ipsum cognoscat ; cum mundi hujus res per se intelligibiles non sint, in semetipso, non in rebus res contemplatur Ille ; angeli quidem sibi ipsi « per identitatem » intelligibiles esse possunt, et cetera in Deo percipiunt ; nos autem, quibus in hac mundana vita sese non manifestat Deus, neque Deum « per identitatem » cognoscere quimus.

« Per causalitatem » quoque cognoscitur, et ita Deus, qui omnia fecit, omnia quoque cognoscit : ab Illo enim æternæ procedunt veritates, et omne quod existit, creavit. Nos autem neque intimum nostrum ens creavimus, neque eorum actuum quorum ens illud causa est, fons sumus (1); experientia tantum et inductione phænomena, entia autem ratione tantum cognoscimus nec in actibus nostris necessitatem eam deprehendimus cujus notitia quasi principium sit unde actus quos proprie acturi sumus, « per causalitatem » cognoscere possimus.

Cognitio tamen humana *factum* quoddam est, quod explicare debemus. Atqui unum restat, nempe « per idealitatem » effici nostram cognitionem. Repræsentatio enim et idea unum sunt, nam quid sit idea nisi repræsentatio ? Fingamus ab idea nihil aliud repræsentari : at se ipsam saltem repræsentat idea, quod absurdum est. Objectivi

1. Dicas potius eorum actuum nostram naturam, non autem nos, fontem esse.

ergo quid in idea quaque reperitur ; « identitatem » quoque quamdam *subjectum* inter et *objectum* deprehendere licet ; denique cognitioni plures attribui causas necesse est, animam cogitantem primum, res deinde quæ mentem ad cogitandum impellunt, Deum denique qui omnia creavit et alia ad alia aptavit. Quam tandem doctrinam omnes solvere difficultates jure non existimes, at veram esse injuria neges.

Ad summam, dum « transcendentalis scientiæ » notionem scrutamur, eo adducimur ut alteram quamdam scientiam, quæ pro legitima habenda est, *humanæ mentis naturæ concinere* putemus ; aliis verbis, dum scientiæ hujus notionem scrutamur, quam proprie humanam vocare oportet, eam profecto ita finire cogimur ut finiri debet si ejus ope verum consequi potest homo. Ergo, sive scientiam in universum sive ideas nostras consideras, homini verum consequendi facultatem inesse certum est : scientiæ vel methodo vel materia considerata, idem est concludendum.

Ita, cognitionis humanæ naturam explanando, suam ipsius de certitudine doctrinam *confirmat* noster quam pluribus argumentis aliis quoque, ut ostendimus, confirmare solet. Dum autem id agit, « fundamentales ideas nostras » paulatim finit ac quamdam de ente in se sumpto doctrinam exponit quam sensui communi vel gratissimam fore putamus.

## PARS POSTERIOR

**Balmesiana doctrina expenditur. Quid veri et falsi excogitaverit, ac quæ apud eum omnino desint**

---

# CAPUT I

### DE CERTITUDINE

Priusquam de essentia qualibet aliquid affirmare liceat, quærendum profecto est num cum essentia illa quæ cogitatur, existentia reapse ac, ut ita dicamus, substantialiter, conjungatur ; atque, ut de existentia disserere liceat, quærendum primo loco est num menti aliquid pro vero habere liceat (quicumque enim de essentiis possibilibus tantum loqui velit, iis jam quamdam *abstractam* existentiam tribuit). Omnium ergo quæstionum prima est certitudinis quæstio, quod noster plane intellexisse videtur. Hoc apud eum magnopere jam laudandum est.

Aque re vera *facti* quæstionem quamdam esse (quæ quidem ad psychologiam pertineat) certitudinis quæstionem comperit Balmesius. Quotiescumque enim a ratione probationes repetuntur ut rationis excellentia manifestetur,

quid accidit nisi ut in paralogismos necessario incidat philosophus ? Atque apud æquales nostros rarissimi sunt qui scientiam et ethicam pro firmis totius metaphysicæ principiis habent dum *transcendentis* aliquid exquirere auspicantur. Ne in scientiis quidem eruditi quique huic quem « dogmatisme scientifique » gallice vocamus, jam favent. Quid ergo aliud oportet quam ad Cartesium aut etiam ad Scotos confugere et quærere num eveniat ut interdum ad necessario credendum impelli nos ipsos sentiamus ? Hoc egit quoque Balmesius.

Hujus autem generis sententias apud Scholasticos reperire jam quimus, quod animadvertere expedit ut manifestum fiat philosophos omnes, non exceptis etiam iis qui a nostris plurimum differunt, sicut nos ipsos in imo pectore sentire. Dum enim de « universalium » natura disserebant Scholastici, quid quærebant nisi utrum a generalibus ideis ens ipsum *daretur* an ideæ meri « flatus vocis » essent ? Non erres ergo si eos essentiarum quæstionem ad existentiarum quæstionem (1) redegisse dixeris. Ac nominalistæ ad systemata empiricorum recentiorum quasi proludebant, realistæ autem dogmaticorum nostrorum et conceptualistæ criticistarum patres sunt. Existentiarum autem quæstio eadem est ac cognitionis quæstio. Itaque de certitudine doctrina quædam in ima Scholastica sicut in quovis systemate jacet, unde omnes aut fere omnes ceteræ sententiæ (primum equidem quæ ad cognitionis naturam atque modos, deinde quæ ad entis naturam pertinent) quodam modo procedunt. Quod si suam ipsorum doctrinam penitus scrutati essent Scholastici, viderent et ipsi per ideas ac per

1. Hujus modi distinctionem sæpe memorant æquales nostri, inter quos in primis Professor Boutroux.

eas tantum ens nobis cognosci ; tunc ideas primo loco pro mentis *factis* habendas censerent, ac explicite, non autem implicite tantum (Conf. Pars I, cap. I) in sua de certitudine doctrina magnam instinctus partem facerent : quem enim instinctum, dum *factum* hoc quod ideam nomen habet scrutamur, statim adspicimus.

Sed medio in cursu stetit noster. Dum credulitatis affert instinctum ut ejus ope dogmatismum defendat, *objecta* nobis directe intueri negat et certitudinem a nobis ipsis gigni declarat : dum equidem hoc agit, contradictionem vitat in quam inciderant Scholastici. Cur autem *factum* hoc, quæ est certitudo, non dispexit ? Assensionum nostrarum intentionem sane considerat, at illud eum latuit : in judicio quoque a nobis prolato, alterum inesse judicium, quo affirmandi jus ipsum affimetur, quin etiam, necessario affirmetur. Certitudo, inter mentalia *facta*, tamquam *factum* quoddam est, sed in eo *facto* continetur judicium illud quo affirmandi jus ipsum affirmatur ; explicite autem id judicium in mente esse, jure negabis ; at quid refert ? Namque ab initio vitæ nostræ, identitatis principium in nobis esse constat ; attamen, quantum principium hoc, prout continuo nostræ mentali præest activitati, ab eodem *philosophicis* vocabulis expresso, differt ! Quænam autem nostræ certitudinis causa esse potest nisi hujus modi judicium quoddam : « Veritatis signum est idearum quarumdam ea vis cui resisti non potest » ; quod pronuntiatum syntheticum certo est. Verum, si res ita se habere agnoscitur, non tantummodo dogmatismi veritas *facti* nomine quasi digna statim apparet, sed etiam perfecte congruunt doctrina hæc in qua credulitatis instinctui, doctrinaque illa in qua rationi primæ deferuntur partes ; quin etiam, dum in certitudinis facto principium reperitur quoddam,

instinctus quasi radix esse ratio apparet, nec jam rationem ab ea quam « naturam » vocat Balmesius separare licet.

Præterea, bene loquitur noster dum scepticos ita increpat : *in facto*, vobis non est possibile non esse dogmaticis ; nihilominus, ejus dogmatismus hinc angustior et illinc immodicus nobis videtur. Primo enim loco, cur rationalibus principiis principium quod sic exprimit : « Omne evidens est verum » non intexit ? Hoc principium « non evidens » at « certum » tamen ac rationis activitati continuo inhærens declarat. Quid hæc ? Angustior apud eum rationis definitio est. Quippe, licet a contradictionis principio, per se evidente, multum differat illud, eadem tamen in ambobus reperitur vis, cui resisti nullo modo possimus ; addas vero æque impossibile esse contradictionis principium et illud alterum scrutari : analysim enim non patiuntur. Præterea, quæ vocat « legum principium » et « humanis testimoniis naturalem assensionem », credulitatisque ad instinctum refert, idem Balmesius ea rationi quoque probari declarat. Quæ cum ita sint, cur extra rationem ejus modi principiorum fundamentum quærit noster ? Decetne hominem conscientiæ vel instinctui fidere antequam loquatur ipsa ratio ? Cum vero locuta est ea, nonne cetera testimonia negligere decet ? Quænam facultas veraces inter et mendaces instinctus discernit ? Quænam, doctrinam eam in qua tantopere laudatur instinctus, composuit, quænam nisi ratio ipsa ? Unus ergo est instinctus cui credere sapientis sit, is nempe qui cum ratione una atque eadem res est. Instinctui credamus, ne autem obliviscamur in imo instinctu eo quem « sensum communem » quoque vocat noster, jacere rationem, omnis legitimæ certitudinis fontem uni-

cum ! Qui ergo a nobis gallice « instinctivistes » nominantur, et rationalistæ esse debent.

Atque, num putabimus dogmaticum quemque necessario credere tam arctam mentis totius unitatem esse ut eas sententias in dubium revocare sit impossibile, aliis verbis rationem sibi constare semper posse, nec umquam in haud solvendas antinomias incessuram esse, nec ad alias conclusiones quam ad eas quæ sensui placeant communi, imo vero, si qua oriatur sententiarum in nobis conflictio, ceteris facultatibus silentium ratione imponi posse ? Quæ intellectus *vota* potius vocemus, intellectus principia habet noster qui plus æquo sensui favet communi. Alia res est philosophia quam perfectior effectus sensus communis, nec a priori certum est limites quasdam dogmatismo a natura non terminari. Intellectualium quidem virium maxima ratio est et ei, quia jubendi maxime perita est, profecto fidimus ; id vero non impedit quin sapientis forsitan sit menti humanæ interdum diffidere.

Denique Balmesium laudabimus quod suam de certitudine doctrinam pluribus *confirmationibus* ornare molitus est ; vituperabimus autem quod nec certitudinis factum nec omnes mentalis activitatis modos satis dispexit. Psychologiæ peritior si fuisset, non tam immodice dogmaticus nec sensus communis in imo corde quam rationis observantior esset. « Naturam et rationem conciliare » voluit, ac rationi primas sæpe deferre videtur partes, sed reapse tamen instinctui, sive sensui communi majores tribuit honores.

## CAPUT II

### DE CRITERIIS

Utrum veri absoluti criteria sint an non ? Eam proponere quæstionem naturale est, at quæstio illa non nisi ut mox rejiciatur tractanda est, ut nobis quidem videtur. Primum autem Scholasticorum et Balmesii sententias examinemus.

### § I.

Implicatam esse Scholasticorum de criteriis doctrinam satis constat : ut enim ostendimus, omnes cujusque generis veritates ad criterium unum non referunt, atque, licet sua criteria conjungere velint, ea ad unum redigere dubitant. Pauciora sunt balmesiana criteria, strictioribus connexa vinculis nec tamen ad unum reducuntur. Alia vero apud nostrum reperiuntur quibus Scholasticos multo antecellit. Iis enim, dum nostræ menti semetipsum quasi manifestare verum contendunt, perdifficile sit, si saltem sibi constare velint, erroris possibilitatem atque causas enodate explicare ; nostro autem non ita fit, cum veritatis signum internum atque vere humanum esse credat. Nihil vero impediret a priori, si saltem esset criterii notio quædam rationi consentanea, quominus plura essent criteria ; verum autem se ipsum nobis manifestare ne dicas, nam

ea sententia contradictoria in se est. Præterea, ambigua minus Balmesii quam Scholasticorum doctrina ; hi enim, si eorum sententias secundum ordinem eumdem ac nos consideras, in imo pectore sic egisse videntur : primum instinctui præsertim fidisse, deinde magis magisque ad evidentiam confugisse, denique ad *objecti in se* sumpti activitatem ut ad fontem, *objecti* nostram rettulisse cognitionem : quæ quidem haud inter se cohærentia existimare licebit ! Balmesius autem magis magisque evidentiam laudibus effere videri potest, sed in imo pectore criteria cuncta ad instinctus quosdam re vera refert. Denique sunt apud Scholasticos sententiæ plures de evidentia, quæ si consideraveris, difficile intelligas unde philosophis istis tantopere odiosa fuerit ab initio cartesiana doctrina. Balmesius autem similitudinem quamdam inter doctrinam suam et cartesianam esse comperit ; at eum latet hac suam superari, nec videt nihil apud Cartesium esse quod suæ ipsius de credulitatis instinctu doctrinæ reapse repugnet (1) : nam, cum veri signum nihil aliud nisi interna quædam illuminatio esse possit, ac nulla alia definitio evidentiæ conveniat, num quis contendere audeat alia criteria, si saltem de criterio loqui deceat, atque evidentiæ criterium existere ? Quidve impedit ne plura sint evidentiæ genera ? Quod sane comperit Cartesius qui quamdam *facti evidentiam* in τῷ « Cogito, ergo sum » et aliam quamdam mere *rationalem* posterius, cum « Perfecti » ideam conspexit, invenire valuit. Atque in

1. Sua, ut equidem eam exponit, doctrina multum a cartesiana differt.

cognoscendi principiorum intuitione aliud quoque rationalis evidentiæ genus esse cogitat Cartesius. Ita noster apud Cartesium sua tria criteria deprehendere posse injuria credit. Sumamus enim balmesianum hoc pronuntiatum : « Omne evidens est verum » ; e nostra evidentiæ definitione sequitur et hoc ipsum pronuntiatum evidens esse. Nonne tamen, ut immediata quæque veritas evidentis nomine digna, evidentiæ ipsa fides ad instinctum quemdam referenda est ? Ita plane est. Quod nunc ad conscientiam attinet, quid hujus modi criterium esse possit cui tantum nomen hoc « criterium in potentia » convenire nobis visum est atque Balmesio ipso ? Ergo si criterii notio non rejicienda esset, hoc tandem esset dicendum : unum veri criterium est, nempe evidentia cui ex instinctu, natura ac sponte credimus.

Nunc autem Scholasticam silentio admodum prætermittamus et nostri doctrinam unice consideremus. Illi videtur rationis principiis subjectivam tantum evidentiam inhærere, ac objectivum principiorum usum ad instinctum quemdam, a ratione alienum, refert. At sit aliqua subjectiva tantum evidentia ? Minime, ut nobis equidem videtur. Tibi enim licet utrum mentalium facultatam usus is sit quærere, qui tibi veram rerum cognitionem præbeat, non autem in mente subjectivam quamdam et objectivam quamdam evidentiam tamquam distinctas res dignoscere (1) ; nam, dum meras cogitamus possibilitates, iis aliquam, in Deo saltem aut, ut ita dicamus, in absoluto,

1. Quæ distinctio sane legitima est, at ne te lateat mere prelusoriam (hoc D. Ambrosii vocabulum usurpare liceat) esse debere, nam (et Balmesius ita sentire sæpe videtur ipse) semper *objecti* cujusdam idea quædam aut si mavis existentiæ cujusdam affirmatio quædam in nobis reperiri potest.

existentiam tribuimus, quod perplane vidit Leibnitzius : omnis ergo evidentia objectivi quid continet, aut saltem continere videtur. Sumas nunc « existentiæ realis » ideam, quam ad credulitatis instinctum refert noster : nonne ad rationem primo referri debet ? Hæc enim idea in identitatis principio jam reperiri potest, cum in principio hoc generalissima sit entis idea ac ideo entis realis ideam ratio, hujus principii fons, contineat ipsa (1). Quin etiam, dum tria sua criteria tam arcte connecti contendit, unum quoddam ex iis confici quasi declarat. Præterea, dum mundi extranei, animæ nostræ, Dei ipsius existentiam negare, contradictorium esse judicat, nonne rationi, sive uni ac soli evidentiæ, uni demum ac soli cuidam criterio fidere in imo pectore videtur ? Nonne etiam, ad conscientiæ vel instinctus defensionem, ratione utitur ipsa continuo ? Quod si negas, memento Balmesium magnam impendisse curam ut impossibile esse demontraret unum ac solum criterium accipere vel rejicere, atque hujus modi cetera : quid vero inde sequitur, nisi nostrum in imo pectore ad rationalem evidentiam ceteras evidentias sæpe redigere. Quæ cum ita sint, ejus doctrinam non rejiciemus sed emendabimus tantum, dum dicemus : si criterii notio legitima esset, unum esset criterium, nempe rationalis sive objectiva evidentia ; conscientia id sane est in quo evidentiæ splendet lumen, et instinctus illud est cujus ope evidentiæ rationali firmiter assentimus.

1. Ut posterius dicetur, cum entis idea conjungitur in nobis et altera idea, qua affirmatur *ens aliquod re vera existere*. Hæc idea principium quoddam est quod stricte cum identitatis principio (quod mere *logicum* per se est) conjungitur.

## § 2.

Denique criterii notio breviter examinanda est. Quid nobis esset lucri si, certitudinis quæstione tractata, hoc quod certitudinem generat « veri criterium » nominavissemus ? Cum vero de mentis facultatibus dissercmus, quid nos juvet si criterii nomen usurpemus ? Vana atque sterilis ea notio est ; quin etiam, adeo non dogmatismi refert criterii quæstionem aggredi, ut scepticismi potius intersit. Subjectivum enim et objectivum simul esse criterium quodlibet necesse est. Dum vero hoc objectivum dicimus, extra mentem veri ponitur signum, nam prout quid vere objectivum dici debet, a *cogitante subjecto* alienum necessario est ; dum autem hoc subjectivum dicimus, e ratione nostra ipsa credendi jus nostrum quasi elicimus ; tunc duo tantum patent viæ : aut sufficere rationem arbitramur quæ pro se ipsa spondeat, aut nihil quod pro ea spondeat videmus ; hinc jam autem non opus est de criteriis loqui ut dogmatismo aut scepticismo faveatur. Criteriorum ergo quæstionem, ut dicebamus, aggredi naturale est, ac forsitan aggredi decet, sed ut statim probetur eam esse negligendam.

# CAPUT III

## DE MENTIS FACULTATIBUS

Hic sane non expedit Scholasticorum neque Balmesii de mentis facultatibus doctrinam funditus explorare : prima enim commenticiæ cuidam fabulæ admodum similis est et altera recentioribus doctrinis potius similis videtur. Hæc tantum dicere nobis liceat : si *intellectus psychologiæ* operam impendere vis, nihil aliud nisi conscientiæ *facta* primo loco te considerare oportet ; deinde, non autem antea, tres facultates dignoscere potes, primum quidem conscientiam, ex qua sensationes nec non sensationum sensatio ac omnium eorum quæ in nobis fiant cognitio oriuntur ; deinde *animi intentionem*, in qua analyseon et syntheseon quarum ope ad scientiam festinamus principium quæri debet; rationem denique, ex qua principia prima et ideæ primæ originem ducunt. Postea, animadvertes conscientiam ipsam analyseos et syntheseos facultatem jam esse, dum hinc cogitationes, quæ eam quasi transeunt, distincte cogitat, dumque illinc successivos mentis habitus *integrat* (hoc vocabulum usurpare liceat). Denique, si mentem penitus introspicere vis, vel simillimas inter se judicabis hinc sensibilium qualitatum et illinc primorum cognitionis elementorum generationem ; aliis verbis vel simillimas inter se conscien-

tiam et rationem esse judicabis, neque aliud rationem esse nisi conscientiæ, quæ mens nostra tota est, partem aliquam.

His autem dictis, nunc quæramus num facultatum mentalium exploratio nobis prodesse possit, ut de certitudine novi quid sciamus ? Atqui ea quæstio est : utrum quid in facultatibus nostris sit, quod pro earum excellentia spondeat ? Non jam criteria invenire nitemur ut illud nobis præbeatur. Quid vero ? Naturamne et originem facultatum scrutabimur ? Hanc viam si sequemur, nihil certi discemus cum, exempli causa, possibile sit ut vilium facultatum auxilio recta veraque cognitio comparetur (nonne fit interdum ut e falsis præmissis vera ducatur conclusio ? Ergo bona cum utimur facultate, ejus modi aliquid fieri jam potest) ; addas quoque erroris causas in elementis a priori jacere posse (quod vero non impedit quin, ut equidem sentimus, elementa a priori in nobis esse admittere debeat dogmaticus ex quibus veri oriatur cognitio), nec empiricis in promptu esse unde sciant utrum cognitiones in nobis a natura quasi impressæ similes an non sint huic $X$ quod, dum in nos agit, in semetipsa sit forsitan rerum natura. Quæstio demum ita proponenda est : sitne quid cum intellectus principiis conjunctum quod pro iis spondeat ? Ita autem proposita quæstione, sive ad certitudinem (quod jam egimus) sive ad principia ipsa examinanda adducimur.

Hæc autem aliter quoque ostendamus. Aut *objecti* solius aut *subjecti* solius ant amborum activitate aut denique *harmonia* quadam *objecta* inter et *subjecta* (*subjecta* autem ut cujusdam generis *objecta* considerata) *præstituta*, explicari debet humana cognitio. Primam sane sententiam professi sunt Scholastici qui quartam accepisse nonnullis

videntur. Scimus quoque eos dixisse nihil « esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu » ; nec non quemdam cognoscentis et cogniti communem actum sæpe memorant ; sed quid refert ? Eorum enim constantissima doctrina alia est : corporibus et hominis proprio corpore, animæ humanæ essentia et Dei ipsius actione omnem facultatem sive potentiam nostram explicant : mentem ergo ad nihilum quasi redigunt, quæ apud eos (Hygini si vocabulum quoddam usurpare licet) nihil nisi *tetrans* (gallice « point d'intersection ») est virium a se ipsa admodum alienarum. Dogmatismi veritatem sic probare velle, principii petitio est ; atque is miranda quidem ratione mentis excellentiam laudat, qui, quod laudat, eo ipso evertit et destruit !

Secundam vero sententiam si sequatur dogmaticus, nihil facultatum consideratione proficietur (dogmatismi periculum minus tamen hic est). Quis enim omnes humanas facultates enumerare ac præsertim funditus introspicere posse contendat ? Facultates ideo quotiescumque considerabis, hoc erit tibi dubium : jacet forsitan in ima nostra natura facultas quædam ex qua commenticiæ quædam nascantur ideæ ; iis ideis homines omnes simul forsitan decipiuntur. Veri imaginem vel similitudinem gignit forsitan ea facultas ; sed illud scire numquam valeamus etiamsi hanc introspicere facultatem valeamus !

Sententiam tertiam mox examinabimus ; de quarta enim disserere prius expedit cum altera sola sit quæ nobis veri quid continere videatur. Nonnullis visum est nullo modo dogmatismi veritatem aptius *confirmari* posse ac si supra omnia *objectum* quoddam, cui Dei nomen inditur, esse affirmetur qui substantiis non cogitantibus et mentibus easdem imposuerit leges. Sed, ut hoc demonstrare

non possunt quin multa simul jam postulent quæ demonstrare prius oportuerit, ita, his postulatis, nihil dogmatismo prodest : aut enim mentales facultates *erga* Deum (si ita loqui conceditur) quasi meræ potentiæ sunt, quod inintelligibile existimamus, quod negare est eam activitatem quam laudibus efferre affectat dogmaticus ; aut per se quid sunt eæ facultates : tunc dubitatur an cum rebus congruat earum facultatum activitas.

Tertiam denique aggrediamur sententiam, et primum animadvertamus plures tamquam gradus in ea esse, tot scilicet quot mentalis activitatis gradus concipere possumus. Hæc equidem activitas nobis conscientia quodam modo manifestatur, et volentes vel nolentes, dum philosophari incipimus, a *subjecto* proficiscimur. Sed quid agimus, dum a *subjecto* necessario proficiscimur ut *objecta* vere existere certiores fiamus ? *Subjecti* facultates considerare, nihil, ut ostendimus, nobis prosit ; quippe, etiamsi eas scrutamur nec ab initio negamus nos coactos umquam fore ut *objectorum* existentiam admittamus, permanent nihilominus dubitandi causæ quas supra percensuimus. Attamen jam non spernendi dogmatismi balmesiana opinio ea est, dum *objecti* existentiam ex eo infert quod, ad stimulandam mentem nostram, *objectorum* actio requiri videtur.

Quidquid id est, cuique de certitudine disserenti, naturale est facultatum mentalium aggredi considerationem ; verum, iis consideratis, tres permanent nondum solutæ quæstiones : utrum sit cum mentis activitate stricte conjuncta certitudo ? Utrum sint principia quæ ad entis et phænomenon cognitionem ducere posse videantur ? Ac, primo loco, videanturne facultates quædam existere quæ in principiis non omnino contineantur (quas ad finien-

das non sufficiant principia (1)? Atqui, num facultates intellectuales aliud sunt atque ipsa principia quibus parent illæ, parentque mentalia *facta* principiis iis subdita? Duo tantum nunc restant quæstiones, quarum primam jam solvimus et alteram quarto capite solvemus, in quo dogmatismi *confirmationem* quamdam aliam, non autem *probationem* præstare nitemur. De principiis autem primum inquirendum est num a priori sint.

Hic quoque balmesianam doctrinam interdum emendavimus magis quam rejecimus : idem enim noster qui duas facultates criteria quoque vocat, principia præsertim conspicit, dum in facultatum consideratione versari videtur.

1. Plerumque, dum « facultates » memorant dogmatici, hoc verbo nihil aliud significant nisi principiorum summam, quibus quemdam vitæ modum attribunt.

## CAPUT IV

### DE PRINCIPIORUM ORIGINE

Ea mentis humanæ imbecillitas est ut rationi credendi causis jam perspectis, scepticismus possibilis tamen permaneat; ac permanet quamdiu dubitandi causæ juxta perfectissimas credendi rationes subsistunt. Atqui (hoc equidem directe et indirecte jam ostendimus) ut e principiorum a priori existentia dogmatismi non sequitur statim veritas, ita dogmatismi veritas primum tamen requirit ejus modi principiorum existentiam; principiis enim a priori positis, incertum etiam est utrum natura nostra capiamur an non; iisdem vero negatis (1), incertum est utrum nos capiat natura rerum an non; quibus autem positis, cum primum, si legitima est certitudo, in nobis suum ipsius fundamentum (*in facto* et quod ad jus attinet) habere debeat;

1. Ceterum mentem activam esse aut innati aliquid in ea esse admittere unum atque idem sunt. Illud quoque animadverte : mentem absolute passivam dicere nos vetat experientia ; at utrum *acta* est ea, an re ipsa agit? Hæc quæstio est. Si vero *acta* semper est, unde sciet quantum possit, cum res ipsas cognoscere sit impossibile ac proinde quænam sint inter eas et se ipsam relationes. Mens ergo de sui ipsius pretio cognoscere tantum potest si in se ipsa aliquid est, si ipsa per se quid agit; aliter enim hanc quæstionem, scilicet « Quanti existimanda est cognitio mea? » sibi proponere nequeat. Quæstio quæ ad cognitionis pretium attinet, *subjecti* considerationem et hanc unicam requirit.

cum deinde si cogitationum nostrarum nulla ex intelligentia nostra oriatur (quod vero non putamus), nullius pretii res sit mens nostra ; cum denique certitudo ea, ut ex instinctu quodam, aut, si mavis, ex ima *subjecti cogitantis* natura nascitur, ita cum ideis atque principiis primis ex ima eadem natura natis conjungi debeat ac idem significant « a priori » atque « innatum » : jure declarare possumus innata elementa a dogmatico philosopho quoque admitti oportere. Igitur, nonnullis in sequentia capita considerationibus reservatis, de principiorum origine nunc tractabimus, ita quidem ut balmesianam doctrinam cum aliis conferre queamus. Hoc autem dum agemus, sententiam nostram enodatius explicabimus.

## § 1.

Ac primo loco animadvertere expedit philosophos plerosque innata principia quædam admisisse. Servaverunt Scholastici Aristotelis « τόν νοῦν Θύραθεν » nec non eos mentis « habitus » quos, ut vidimus, ad vacuas potentias redegerunt. Cartesius virtualiter nobis innata esse nonnulla contendit, ac Lockius (quod solerter notat Condillacius) dum ideas ad sensationes redigere curat, facultates contra quæ « reflexionis » *objecta* esse dicit, ad sensationes non redigit ; imo vero, jure dicat et illud Condillacius : sentiendi facultatem quamdam innatam non satis a Lockio negatam esse. Atque in Condillacio similia increpare possimus qui tamen « animi intentionem » per sensationes explicare tentavit. Logicæ et mathematicæ principia ipsi Humio a priori esse videntur ; quin etiam, nonne innati aliquid est in ea, cui interdum

alludit, « natura », per quam nostras « consuetudines » explicat ? Consuetudinis autem auxilio, causæ ideam primum explicavit. Spencerius innata esse plura concedit, quæ nobis tamquam hæreditate venerint ; hæreditatis vero rationem ita reddit ut facit qui nullas nisi physicas admittit causas ; quod autem non impedit quin in imis rebus reconditam esse quamdam potentiam arbitretur in qua omnium phænomenon sit ultima ratio ; ergo apud eum, mundus hic qui nunc existit in quodam « Absoluto » jam innatus tamquam idea vaga quædam erat. Denique, nonne quodam modo innata sunt quæ ut tot conscientiæ vices ad conscientiam velut ad principium referre solet Kantius ? Innata igitur quædam esse si negemus, a philosophis fere omnibus dissideamus.

Ceterum, sæpissime ea doctrina profertur ut dogmatismi patrocinium aptius arripiatur. Innata enim esse quædam si Aristoteles et præsertim Scholastici volunt, causa est quod divina hæc esse demonstrare moliuntur. Spencerius vel strictissimis vinculis *subjectum* et *objecta* conjungere gestit ut hoc ipso errandi evanescant causæ ; attamen, quod sibi proposuit, empirica via quin assequi possit forsitan dubitat, quando omnia *facta* (quorum in numero nostram cognitionem adscribere debes) ad quoddam « Absolutum », quod mundi hujus ideam quasi contineat, referre statuit ; suo quidem modo, dum primatum *subjecto*, non autem *objecto* (quod agebat Spencerius) defert Kantius, idem atque Spencerius sibi proponit. Humius in logica et in mathematica dogmaticus est ; si synthetica a priori principia cognovisset, quin etiam si « naturæ » ideam de qua loquitur aliquando, magis penitus tantummodo inspexisset, scepticus minus esset. Non injuria autem cum Spencerio Condillacium compa-

res ; ac Lockius cogitandi facultatem a Deo dari asserit. Cartesius denique et Scoti, innata accipere principia dogmatismi esse censuerunt. Quam ergo sententiam afferebamus, plerique professi sunt plus minus philosophi omnes.

Attamen nonnulla apud Balmesium de hac materia increpes. Duo enim ea innata elementa quæ affert noster plurimum ab innatis Leibnitzii differunt principiis : quod virtualiter existere Leibnitzio videtur, realius est eo quod virtualiter existere declarat Balmesius ; « nimis vacuas », ut equidem sentit, Kantii formas, categorias rationisque ideas reformidat, sed ipse in idem vitium incidit cum « innatas facultates » in locum eorum quæ innata dicit Kantius, subdit. Addas quoque eum a Cartesio et a Leibnitzio dissentire dum mentem nostram et innata elementa dignoscit. Errare autem Balmesium certum est ; quippe, cum innata non virtualiter tantum existere concedat, principia pro mentalibus *factis* habere debuit, eaque, ut ita dicamus, « *facta-principia* » vocare. Quod si fecisset, mentem et principia unum esse agnosceret. Ita autem sentire necesse est, ut dogmatismi causa defendatur ; nam, si principiis *factorum* nomen inditur, absurda statim fit quæstio ea : num homo quidam admodum scepticus esse possit ? Ut enim, principiis *factorum* nomine indito, dogmaticam esse mentem nostram non jam negare possumus, ita principiis diffidere non jam quimus. Ac nihil nisi *facta* quædam esse possunt principia, quæ nihil nisi constantissimæ nostræ ideæ sunt ; quas vero maxime *dominatrices* inter ceteras recte voces. Quæresne, hac accepta doctrina, num ab intelligendi principiis, intelligentiæ essentia tamen differat ? Hæc sane inintelligibilis quæstio est : quippe ens quodvis sua ipsius actione fini-

tur, nec aliud sunt principia nisi mens in actu. Tota quæstio reapse ea est : crediturne necessario ? Primo autem in capite respondimus ; ne autem scepticismo, licet jam confutato, aliqua pateat etiam via, operam damus : ii enim sumus qui, *probata* re quavis, *confirmationibus* tamen egeamus.

## § 2.

Nunc autem aliquid demonstrare cogitamus quod primum miraberis, sed deinde pro vero debebis accipere : dogmatismo, empirismo criticismoque vicissim favere mentem humanam licet, ut nobis equidem videtur ; quin etiam, harum methodorum unicuique quodam modo favet unaquæque methodus, licet, dum earum quamlibet unam sequeris, erroneas statim alias declarare te oporteat ; denique, se ipsos destruunt empirismus et criticismus ac ipsa sui ruina duas propositiones eas veras esse demonstrant, primum esse principia a priori quædam (ea est non sufficiens quidem, sed necessaria conditio quædam ut legitimus sit dogmatismus), deinde principia vera esse (ea conditio, quæ sufficiens sit, et alteram, si existit, existere quoque postulat ipsam).

Etenim in conscientia quæ omnium mentalium virium, ut vidimus, fons est, tria notanda sunt, τὸ « cogito », cogitata *facta*, cogitandique principia (nihil ad rem hic pertinet utrum re vera a priori sint necne ; sunt enim in nobis cogitationes quæ, ut empirici angli ostenderunt, principiorum agunt partes) quorum auxilio *facta* alia cum aliis conjungimus. At cum hæc tria pariter principalia sint, æquum est sive a *factis*, sive a τῷ « cogito », sive denique a cogitandi principiis proficisci philosophum ;

quæ autem cum ita sint, empiricum, criticistam et dogmaticum vicissim esse fas est. At enim tres illæ doctrinæ trium methodorum ope exstructæ, nihil nisi mentis tamquam *gestus* (1) sunt ? Ita est, quod saltem ad empirismum et ad criticismum attinet ; nam dogmatismus verus est, et una est veritas proprie dicta. Quomodo autem fit ut nullus eorum mentis *gestorum* spernendus sit, aliter etiam ostendendum est Animadvertas tamen hoc ipsum jam ex eo demonstrari quod eos *gestus* ad conscientiæ naturam ut ad causam referre potuimus.

Pergamus igitur ; quodam saltem modo, tres illæ doctrinæ, quæ inter se pugnant, aliæ aliis favent. — Dogmaticus enim empirico criticistæque essendi quasi licentiam concedat necesse est ; nam, ut supra ostendimus, principiis *factorum* nomen convenit, quorum, ut ceterorum *factorum*, inter *facta* origo quæri debet : hoc vero empirismo nisi conceditur, ea postulatur propositio : scientiæ interdicendum esse ne perfecte suo fungatur munere ; quod plane arbitrarium ac ipsi dogmatismo maxime contrarium sit. Quin etiam, criticistæ hanc licentiam dare debet dogmaticus, ut « cogitationis conditiones » quærat, quod sane primus fecit Kantius. — Atque a criticismo petitur ut scientiæ methodos ad mentalium *factorum* omnium explicationem adhibeamus, aliis verbis, ut psychologica vel etiam physiologica methodo utamur dum idearum quas « formas » seu « categorias » seu « rationis ideas » vocavit Kantius, originem persequimur ; quin etiam, petit criticismus, si bene rem consideras, ut eam phænomeni et noumeni kantianam distinctionem,

1 Hoc vocabulo uti nos concedatur, cum nullum sit aliud cujus ope in latinam linguam vertere possimus gallicum verbum « geste » quo in nostro « Essai critique sur le Droit d'Affirmer » usi sumus.

quæ cum nostræ mentis essentia communis nihil habet, rejicias ; petit demum ut totum cogitationis *factum* illud accipiamus in quo non ea tantum quæ ad scientiam pertinet sed etiam metaphysica certitudo inexpugnabilis (ut ita dicamus) re vera jacet. — Empiricus denique, si constare sibi vult, certitudinem *factum* esse quoddam et ipse agnoscere debet, quod dogmatismo favere est ; nec non eum oportet quærere utrum in mente, ubi primum a *cogitante ente* cogitatur (id est ubi mens primum fit), nascatur nec ne aliquid quod in posteriores cogitationes agere debeat : hoc autem quærere, quid est, nisi quam sibi proposuerunt quæstionem criticistæ, proferre. — Recte ergo dicebamus nos dogmatismo, criticismo empirismoque vicissim optimo jure favere posse : eorum unusquique aliis favet.

Et adeo certum est nullum dogmatismi periculum esse in empirismi vel criticismi consequentiis evolvendis (qui tamen ut obrueretur dogmatismus exstruebantur), ut empirismus et criticismus, ubi eos mentis humanæ naturales *gestus* perficere instituis, se ipsos destruant. — Empirismo enim videri debet empirismus nihil nisi *factum* mentale quoddam esse, pro quo nihil spondere umquam possit, quod vero, ut alia mentalia *facta*, per alia antecedentia *facta* explicare deceat ; quam autem explicationem et ipsam explicare deceat, et ita usque ad infinitum regredi oporteat. — Criticismi ipsius ruina (multa sane et in empirismo et in criticismo maximi sunt pretii) criticismus est, nam cum sit ille mentalium *factorum* aggregatus quidam, nihil est nisi modus secundum quem ipsa sibi apparet cogitatio : hunc ergo modum explicare deceat, et ita usque ad infinitum. — Ne ergo vetes nos in empirismum et in criticismum incumbere, cum ipsa mentis natura ambas

methodos illas commendet, cum eas ipse dogmatimus commendet ac earum unaquæque aliis favere jubeat. Verum, ne obliviscaris in dogmatismo tantum perseverare usque ad finem posse mentem : frustra enim in eo quid simile quæras huic cujus causa ambæ aliæ se ipsas destruunt methodi.

Quin etiam, dum empirismi aut criticismi argumenta disponis ac adversus dogmatismum pugnas, dogmaticus es continuo, quippe qui empirismum aut criticismum verum esse prædices ! Quod enim tunc agis, hoc agis tamquam in tua mente sint ac tibi videantur esse principio certa quædam : nam si tibi vis constare dum mentalis activitatis pretium perpendis, necessario, mentem tuam quæ judicat, pro re quadam alia non habere non potes atque principia ea mentaliaque ea *facta* quæ examinas : te ergo oportet mentis tuæ essentiam principiis saltem iis constitui credere, tibique ipsi fidere. In empirismo igitur et in critiscismo reperiri possunt sententiæ quibus nihil magis dogmaticum excogitari possit.

Denique, quod in empirismo optimum est, et dogmatismorum omnium optimo continetur. Nam quid impedit ne dicamus factum esse a priori id ipsum quod a priori esse prædicamus ? Quippe, quonam signo sese a priori esse manifestat quod a priori dicitur ? Hoc profecto quod id est illud, quod suam ipsius *formam* multis aliis imponat ideis ; nam principii a priori partes suscipere potest idea quævis in quantum indeterminata est, cum hinc ideæ omnes inter se conjungi tamquam gestiant et illinc eo plures in una quavis quasi introeant quo hæc minus determinata jam sit. Ita factum est a priori quod a priori nunc est, quod equidem necessarium judicabis si alias ab aliis *comprehensione* differre ideas memineris. Quid

autem verbis « relationes inter ideas » significatur nisi mentalis activitatis essentiam ? Nihil enim per se ideas esse ratum est. At enim innata esse quæ a priori vocas negabis ? Minime, nam quid est idearum transformatio aut vita, nisi mens ipsa : quidquid in mente agitur, mens ipsa est, quæ quodam saltem sensu, tota sibi innata est. Non fit igitur empiricus, is qui empirismum non admodum contemnit. Atque dogmatici cujusque est a « cogitationis » notione omnes cogitandi modos deducere niti, quod agebat Kantius ; criticismi ergo aliquid a dogmàtico vindicari necesse est ; quod vero perspicuum est.

Quæ cum ita sint, sic nobis concludendum est : quocumque modo de principiorum origine primum sentis, necesse est ut aliquid a priori in mente existere agnoscas, quæ dogmatismi necessaria conditio est, non autem sufficiens ; quæ vero sufficit conditio ea est : principiis sponte assentiri. Hæc existit quoque, quod equidem demonstravimus ; atque alteram existere jam indicat cum fides impossibile quid sit, nisi id ipsum cui creditur pro suo a mente reputetur (1).

1. Cogitandi principia primum pro *suis* a mente habenda sunt, si saltem legitimus est dogmatismus ; sed principia ea *sua* dici nequeunt, nisi mens ea generavit.

# CAPUT V

## DE PRINCIPIORUM AC GENERALITER DE OMNIUM JUDICIORUM NATURA

Balmesii de analyticis et syntheticis principiis doctrina nunc est examinanda, quæ nostræ maxime contraria est. Nobis enim videtur certitudinis humanæ nullum esse pretium si judicia nostra analytica recte dicantur, sed in promptu habemus unde plus minus synthetica esse omnia demonstremus ; quæ, dum balmesianam perspiciemus doctrinam, confirmare nitemur.

### § 1.

Quippe, cur Scholastici verba « certum », « mediate » vel « immediate evidens » idem quodam saltem modo ac « analyticum » significare volunt ? Cur, imprimis « per se notum » ac « analyticum » ? Fingamus aliquam syntheticam a priori propositionem esse quæ dubitari non possit ; certa sane est, quando non dubitatur ; evidens est quando, ea audita, mens lumine quasi oppletur ; per se nota denique est, quando hinc immediate evidens est, et illinc nulla inveniri notio potest quæ subjecto contineatur et prædicatum contineat, aut subjectum et prædi-

catum contineat, aut subjecto et prædicato contineatur. Fingamus nunc nullas nisi analyticas esse propositiones; quid in eis sit illud cujus causa evidentes et certæ videantur? Recte respondet Spencerius illud esse « impossibilitatem concipiendi contrariam propositionem », et Cartesius « dubitandi impossibilitatem ». Adeo certum est vim eam, cujus ope propositio quædam nos ad credendum cogit, solam esse nostræ certitudinis causam, ut in ipsis analyticis dictis propositionibus nullam aliam credendi causam deprehendere possis; quin etiam, nullam vere analyticam esse demonstrabimus, ab eoque omnem everti certitudinem qui analytica judicia esse contendat.

Omni ope adnititur noster Scholasticorum opinionem defendere, at ita tamen ut eos errasse potius demonstret. Hoc, exempli causa, pronuntiatum : « Omne evidens est verum », quod syntheticum a priori declarare non vult, ac « non evidens » dicit tamen « nec analyticum », quod nihilominus « omnino certum » esse prædicat, nonne re vera syntheticum a priori atque evidens dici debeat ? Ceterum, cum dico : « Quod analyticum, evidens quoque est », nonne duobis verbis idem dico? Num analytica est ejus modi propositio? Num aliud quæro nisi utrum possim assensionem meam inhibere, necne ? Verum quærere nihil aliud est, ut ita dicamus, nisi inter possibiles quasdam affirmationes quærere quænam maxime *normalis* (1) sit? Balmesio concedimus errantem quemque sibi ipsi contradicere : sed si syntheticæ a priori propositiones quædam sunt, qui earum unam negat, sibi ipsi aliquo modo contradicit! At enim, enthymemate sæpius utimur! Quid mirum?

1. Hoc verbum argumento eodem ac verbum : « *gestus* » defendere concedatur. Vid. pag. 92 not. 1.

Hoc non probatur nos in *majore* ant in *minore* conclusionem quasi videre, sed consuetudinis cujusdam gratia, nos ad velociter ratiocinandum aptiores fieri posse. « Judicare, ait, est comparare ». Ita est ; at ubi comparatio est, et diversitas quædam est, nec idem dici potest comparatio et, quæ eam sequitur, conclusio. Dum intra nos meditamur ut sciamus utrum B de A prædicari possit necne, quærimus num A cum B mens necessario conjungat ; neque divitias quas contineant ideæ, percipere nitimur ! Ideæ enim, ut ipse dixit, « intellectuales actus sunt » ; loquatur ergo de ideis prout in nobis sunt, nec de ideis *in se*, at prout in Deo sunt ! Dum judicamus, ideam unam ex pluribus conficimus ; sed idea *complexa* est ea, nec perfecte una ; hac constructa idea, quamdam ejus ideæ analysim aggredi possumus : quod vero non impedit quin antea (dum scilicet ideam illam construebamus) synthesim effecerimus quamdam ; atque, synthesi effecta, conjunctarum idearum non evanuit *ipso facto* diversitas. Ideas tamquam psychologica *facta*, non vero tamquam cujusdam generis entia consideres necesse est. Sitne alioquin scientia *reductioni* cuidam similis ? Hoc non credimus, nam duobus ad unam reductis rebus, *ipso facto* scientiæ materia evanescit : si enim ut τοῦ B rationem recte reddam, B ad A redigere debeo, inde sequitur A solum aliquid esse, nec B per se aliquid esse ; attamen, ut intelligibilis sit quæstio mea dum naturam τοῦ B scrutor, me aliquam τῷ B propriam naturam attribuere oportet. Si analytica tota est scientia, vana tota ac redundantiarum mera quædam colluvio est. Ne autem dicas in Deo perfecte analyticam esse cognitionem, nam ejus modi cognitio sit pauperrima. Denique, si analyticæ propositiones omnes sunt, quid, dum judicat, agit mens nostra ?

Num ideas quas cogitat ea, suas re vera esse dicere audebit ? Nonne potius ideas extra nos existere oportebit, ac aliunde non autem a nobis nasci ? Ad Scholasticos hic redit noster ac sibi ipsi contradicit dum illam adeo minuit nostræ mentis activitatem, quam agnoscere primum dogmatici cujusque officium esse constat, ut ipse declaravit.

§ 2.

Directe nunc ostendere nos expedit nihil re vera analytici neque in principiis a priori neque in aliis quibuslibet judiciis contineri : usque enim eo adeundum est ut dogmatismi perfecte defendatur causa. Exempla autem quædam usurpare operæ pretium est. — Primo loco, animadvertas necesse est nullum judicio cuilibet sensum esse quod pro analytico habeas ; dum enim dicis : « Aurum est nitidum », hoc significas : cum aliis proprietatibus unam conjungi nempe nitorem ; ac dum dicis : « A est A », aut nihil dicis, aut illud : cum ente proprietatem quamdam, nempe identitatem, re vera conjungi. — Secundo loco, non sunt ejus modi quas somniat Balmesius notiones quæ, ut exemplis utamur, notionem rectæ lineæ et notionem brevissimæ viæ simul contineant, nec quæ circumferentiæ schema quoddam et ideam hanc, nempe « $2 \pi r$ » in unum cohibeant. — Tertio, si una eademque idea essent subjectum et prædicatum, numquam expediret nunc hoc nunc illud oblivisci, quod sæpe tamen expedit. Dum enim dicis : « $(a + b)^2 = a^2 + 2ab + b^2$ », duas adeo inter se differentes ideas exprimis ut prima ad quadratorum potius et altera ad linearum potius mensuram pertineat ; quod si

obliviscitur, ad gravissimos errores duci mathematicum posse credas.

Quarto, nullæ sunt in scientiis propositiones quæ re vera convertere queamus. At enim, in scientia eruditis multis analyticas fieri propositiones videtur quæ antea, dum scilicet ædificabatur scientia, syntheticæ a posteriori potius habebantur ? Errant autem isti, nam ut enucleate rem explicuit professor Delbœuf (1), chymica synthesi effecta, non tantummodo novæ apparent proprietates, sed si tibi in animo est ad elementa redire, « *laboris* quantitatem majorem affere debes quantitate ea quæ, dum fiebat synthesis, producebatur, si saltem compositionem comitatur quædam caloris effusio ». Si enim litteris A et B elementa designamus, littera D compositum corpus, littera m *laboris* impensam requisitam ut hoc corpus efficiatur, littera denique n *laborem* requisitum ut iterum A et B obtineas, synthesim sic concipere te oportet : « A + B — m = D » ; analysim autem sic : « D + N = A + B » aut « D = A + B — N ». Hanc vero propositionem convertas ; habes : « A + B — N = D ». Sed, cum n majus sit quam m, nec n aut m = O, dicere non potes neque « A + B = D » quod alioquin synthesis formula non est, neque D = A + B quod analysis formula non est ; nec denique, analyseos et syntheos formulis conversis, syntheseos et analyseos formulas habebis. Cogitat quoque Delbœuf « instabilitatis quantitatem » in natura paulatim decrescere : si ita est, numquam identicus est mundus in temporis puncto B huic quod erat mundus *idem dictus* in temporis puncto A. Fingamusne errasse

1. Cf. « La matière brute et la matière vivante » 1re part. ; chap. I, I; chap. III, III.

Delbœuf ? Minime. Nonne enim jure dixit philosophus ille non eamdem esse aquam in glaciem nondum conversam atque eam post glaciei in aquam conversionem ? Cum vero de rebus omnibus similia dici queant, absoluta atque continua mutatio pro rerum summa lege habenda est ; at, quando nulla res est quæ eadem semper maneat neque ad id quod erat, redire possit, erras re vera si dicis aliquid X idem constanter in rebus permanere. Cum vero nihil in rebus deprehendere possis quod sibi ipsi identicum permaneat, profiteri sane te oportet nullas in scientia propositiones analyticas esse posse (1). Deus ergo ipse, si omnia in una idea conspiceret, erraret ipse primus : res enim ut sunt non cognosceret.

Mathematicæ autem propositiones eæ videntur quæ difficillime syntheticas esse demonstrare possimus (2) ; attamen, quid unitatis idea est ? Nihil nisi conceptus quidam. Tò « esse » illud est quod existit ; dum ens unum esse dicimus, entis ideæ unitatis ideam addimus ; a fortiori, nos sumus qui summas efficimus ; natura autem, quid sint summæ prorsus nescit. Quin etiam, cogitare numerum 1 nihil est nisi intellectus actus quidam ; alterum quoddam 1 cogitare, alius intellectus actus est ; cogitare simul primum 1 et alterum 1, alius quoque actus : alius etiam est actus, cogitare 1 + 1, nam hoc ipso obliviscitur, partim saltem, intellectus, primum 1 et alterum 1 in una sola unitate perfecte conjungi non posse : tunc enim re vera novam fingit unitatem ; dum denique cogitas 2, novam

1. Nisi tamen hujus modi propositiones : A, in temporis puncto N, est A ; at quid prosit ejus modi enuntiare propositiones ?

2. Quæ de mathematicis propositionibus hic afferimus, satis cum doctrina professoris Boutroux «La contingence des Lois de la Nature » congruunt.

hanc unitatem (1) in locum primi 1 et alterius 1 quodam modo subdis. Visne nunc a 2 ad 1 + 1, a 1 + 1 ad 1, 1, a 1, 1 ad 1 redire, pariter plures primis actibus contrarios atque iis posteriores nec non penitus inter se differentes intellectus actus quasi generabis. 2 enim non est simul 2 et 1 + 1 ; 2 sunt 2, 1 + 1 est 1 + 1. Quod vero multo enodatius explicabitur si axioma hoc « Totum parte majus est » consideraveris. « Totius » enim cujuslibet idea aliquid designat cujus multiplicitas interna potius tamquam qualitativa menti apparet ; idea autem hæc « parte majus » relationem quantitativam potius designat inter « totius » re vera qualitativam et « partis » similiter qualitativam repræsentationem.

Sive ergo rerum sive judiciorum naturam conspicis, idem tibi concludendum est ; in re enim omnia inter se diversa sunt : ideo, ut res cognoscas, syntheses efficere debes ; ideas pariter, si ut psychologiæ legibus jubetur, consideraveris, nullum inter eas analyticum vinculum existere, maxima cum perspicuitate videbis. Tota scientia in cognitione consistit relationum quæ, conceptibus omnibus perspectis, nobis inter conceptus existere videntur, quarum autem auxilio docemur quosnam conceptus in aliorum locum *subdere* nobis liceat ; nihil enim judicium indicat quodlibet nisi (Ulpiani hoc vocabulum usurpare liceat) quænam conceptuum *substitutiones* legitimæ sint. Quæ cum ita sint, prima *a parte objecti* conditio dogmatismo requisita ea est : ne alia nisi synthetica in mente nostra sint principia ; quæ autem conditio *a parte subjecti* quoque requirenda est, nam ut legitimus dici possit dogmatismus, mentem activi quid esse, ut

1. Omni numero convenit quodam modo unitatis nomen.

ostendimus, oportet ; cum ergo synthetica sint judicia omnia atque inter ea sint quæ principiorum nomine digna sunt, principia synthetica a priori esse credas. Verum fitne, eorum ope, scientia cui objectivæ cognitionis nomen admodum conveniat ? Altera quæstio hæc est, quam primo in nostro hujus partis capite tractavimus.

# CAPUT VI

## DE RATIONIS VEL STRICTISSIMA UNITATE, ATQUE DE EJUS HABILITATE AD ENS IPSUM QUASI CONTINGENDUM

### § I.

Omnes autem dogmatismo requisistas conditiones nondum percensuimus. Quæ enim rationalia elementa nominavimus, aliud etiam esse debent quam *congestus* quidam (gallice « aggrégats » dicamus), aliis verbis systematis nomen merere : nam, ut boni quid sit ratio, rationem existere primum oportet ; ut vero existat ea, una esse debet, cum ens et unum convertantur. Laudemus ergo nostrum qui rationis unitatem ostendere curaverit.

Sed ens illud est quod intelligibile efficere debet ratio nostra ; dogmaticum igitur quemque, ut hanc aut illam qualitatem de ente posterius prædicare possit, hoc demonstrare oportet : omnia rationalia elementa *circa entis ideam quasi ferri* ; quod egit quoque Balmesius.

Verum, hac inter cetera rationalia elementa et entis ideam perspecta relatione, nihil probatur aliud nisi nos de ente quodam bene loqui posse, quod forsitan non existat. Itaque Balmesius, qui existentiæ ideam ex intinctu quodam, non autem e ratione nasci credit, omni ope nisus est demonstrare in nobis re vera quemdam

inesse instinctum qui eam existentiæ ideam generet (quam ideam cum illa pure rationali entis idea sponte conjungamus). Hic, quamquam non omni ex parte, errat noster. Unum enim obliviscitur, oportere, ut de existentia qualibet jure certi simus, rationalem, quodam saltem modo, existentiæ ideam esse ; ergo rationis ex ideis unam esse hanc demonstrare debuit. Eam enim demonstrationem tentare necessarium est, nam ii sumus qui rationi tantum credere velimus ; addas quoque rationem, *in facto*, facultatem esse eam quæ de existentiis tractet, neque eam ratiocinari umquam velle nisi ut quasdam existentias cognoscat ; sed primum necesse est sciamus utrum rationi existentiæ idea re vera essentialis sit necne.

Porro difficilis sane est hujus modi demonstratio, nam existentiæ notio, partim saltem, non intellectualis est ; cum enim dicimus : aliquid existit, aut illud existit quod officii nomine designamus, existentias quasdam *reales*, ut ita dicamus, affirmat ratio nostra ; sed dum hæc agimus, intelligentiæ limites jam transgredimur, nam intelligere est contemplari, si saltem « intelligere » proprio hujus verbi sensu sumis ; dum ergo hæc agimus, non intelligimus tantum, sed decreta quædam quasi facimus ; quod ad quamdam nostri entis maxime intimam voluntatem referre debet quisque philosophus (hic autem de libero non agitur arbitrio ; animadvertas quoque non eamdem esse affirmationem entis indeterminate sumpti atque determinatorum entium de quibus loquuntur homines : duæ hic penitus differentes sunt affirmationes). Quin etiam, cum dicimus : « Sum » aut : « Mundus est », non intelligimus tantum ; nonne enim facile ostenditur nullum esse proprie dictum paralogismum si nihil nisi cogitationes

nostras existere dicamus ? Attamen nostrum « ego » et mundum esse probare quimus, non autem pure intellectualibus argumentis : officium quoddam mei est (= *ich soll*), ergo sum : mundi hujus existentia negata, officio meo fungi non jam possum : ergo mundus est. Animadvertas nos hic ratiocinari ; quo magis ratiocinamur ac minus soli instinctui fidimus, eo clarius apparet quantum probabiles opiniones inter et certas veritates intersit. Hæc sane bona sunt argumenta, at moralia magis quam intellectualia : ubi vero ethici quid est, affimationis principium a quadam interna cum ente nostro conjuncta voluntate manifesto repetendum est. Præterea, cum dicimus : inductionis principium verum est, intellectus nostri votum quoddam exprimimus, in quo voto ejus modi voluntatem quamdam deprehendere est ; at hic ejus voluntatis actio non *firma* est, nam principium hoc in dubium revocare possumus. — Quæ cum ita sint, existentiæ notionem partim non intellectualem esse certum est.

At demonstrare tamen possumus eamdem notionem rationi essentialem esse. Nam, judicii naturam dum exploramus, qui nostræ intelligentiæ essentialis actus est, perplane videmus in eo voluntatis partem aliquam semper esse. Ideas in eo inclusas ad intelligentiam proprie dictam referre debes ; sed prout in eo quæ vocatur fides aliquam usurpat partem, in eo aliquid ad sensibilitatem (hoc verbo facultatem intelligas ad quam voluptas et dolor quoque referuntur) referendum est ; affirmatio denique, qua terminatur judicium, voluntatis naturam omnino exhibet. Cum igitur nullus sit rationis actus quin ullum voluntatis actum quasi includat, recte dicemus existentiæ ideam, quamquam a voluntate procedit ea, cum

rationis essentia conjungi : detracto enim hoc voluntatis actu, nulla jam est intelligentia. — In primo hujus partis capite, ostendebamus credulitatis instinctum ad spontaneum judicium quoddam redigendum esse, quod instinctum hunc ad rationem ipsam redigere erat. Nunc quoque, præter judicium illud quod ad hujus mundi existentiam attinet, alterum præbere possumus, scilicet : « Aliquid, sive essentia quædam re vera existit. » Hoc alioquin principium cum illo : « Veritatis signum est idearum quarumdam ea vis cui resisti non potest », communis aliquid habet ; eorum vero unum (hoc scilicet : « Aliquid existit ») nihil est nisi alterum relatum ad ens nondum determinatum (1). Balmesius autem a nobis hic differt in eo quod entis indeterminati ideam et entium determinatorum ideam non dignoscit (alias equidem dignoscit, sed ad alium ac nos finem).

§ 2.

Duabus nunc de distinctionibus quæ Balmesium latuerunt, disseramus. Ens sive essentiam et existentiam a Balmesio in imo pectore dignosci diximus, quin etiam, eum duas has ideas alteram ab altera nimis separare ; dum vero omnia rationalia elementa ex entis idea deducere nititur : cum inter ea sint idea causæ, idea substantiæ et ejus modi ceteræ (quæ tantum ad existentiam quantum ad essentiam pertinere videntur), nonne quodam

1. Credimus aliquod ens esse et hoc necessario credimus quia in entis cogitatione aut si mavis idea, vis ea est cui modo alludebamus. At nihil nos a priori cogit ad hujus mundi existentiam pro vero habendam. — Alia atque multa de eo quod « principiorum systema » vocare possimus, dicenda sint, at his non locus in nostro hoc libro est.

saltem modo, existentiæ ideam ad entis sive essentiæ ideam redigere videri potest? Multum autem abest ut hæc reapse hegeliana sententia nostri quoque sit! At declarat tamen essentiam et existentiam alteram ab altera separari non posse, quod suæ ipsius constantissimæ doctrinæ maxime contrarium est. Possibilia, ait, in Deo saltem existere cogitantur et rerum creatarum, aut si mavis, contingentium existentia ab earumdem essentia non differt. At enim, si existentiæ idea ex instinctu quodam tantum, entis vero idea e ratione oritur, si Dei substantia a possibilibus differt, si denique in creaturis essentiæ existentia non essentialis est sed libera Dei voluntate essentiæ additur, quomodo probare potest noster essentiam et existentiam in imo unum atque idem esse?

Neque ens indeterminatum et entia determinata satis dignovisse nostrum, diximus. Quod vero si fecisset, entium determinatorum notionem ex duobus aliis constare videret; quarum altera entis indeterminati notio est (cui enti, ut dictum est, existentiam sponte tribuit intellectus noster), et alteram quasi fabricamur, dum substantiis quibusdam tribuimus, mutatis equidem mutandis, qualitates phænomenis manifestatas. Quod si vidisset, adulterini quid in vulgaribus metaphysicis deprehenderet: nam in iis metaphysicis, ut a phænomenis ad ens iri possit, primum pro cujusdam generis rebus habentur phænomena; ita enim tantum, a phænomenis ut effectibus ad entia ut causas iri potest. At omnia quæ de phænomenis ab hominibus dicuntur, metaphysica jam sunt, quodam saltem sensu (et ea causa est cur phænomenon cognitione nostra uti possimus ad metaphysica systemata quædam ædificanda); quin etiam, aut scientiam cum metaphysica misceas, aut, phænomeni verbo,

hoc ens quod non est, intelligas ! Entis enim verbum univocum est ! Scientiæ ergo campus, ut aiebat Plato, τοῦ « non entis » campus est ; principiorum ergo maxime naturalis usus, metaphysicus ille est quem rejiciebat Kantius, qui verba sane cavillatur dum phænomenales causas vel substantias affert. Metaphysicis enim utimur principiis dum de phænomenis loquimur, et *in facto* de iis bene loquimur, quando scientiam nostram confirmat experientia : at ejus modi confirmatio nihil nisi merum *factum* quoddam est. Quæ cum ita sint, vera metaphysica ea est cui Ontologiæ nomen conveniat et in qua, prout fieri potest, nostri, mundi et Dei existentiam, ac nihil fere amplius deducamus. Scientia autem in experientia sola confirmationem habet suam, atque metaphysicæ — inter se quantopere diversæ ! — quæ ex ea oriri possunt, nihil nisi naturales nostræ mentis quasi *gestus* sunt. Instinctus cujusdam gratia, rationem sibi fidere arbitramur : at is instinctus pro metaphysica ea tantum cui modo alludebamus (quæ e phænomenon scientia non pendeat) spondere nobis videtur ; nec in nobis est instinctus quidam qui pro scientia et metaphysica illa cui favet Balmesius, spondeat. Hic equidem id tradimus quod « notre pensée de derrière la tête » gallice vocare possimus (1).

1. Si doctrinæ hic expositæ consequentia omnia evolveris, hæc in finem credere debebis : totum phænomenalem mundum merum nihilum esse, ut aiebat Parmenides, phænomenalemque mentis nostræ vitam pro mero nihilo et ipsam habendam esse ; ita ne de iis quidem mentis *gestibus* (vid. supra) te loqui licere nisi antequam ad veram philosophiam tandem perveneris. Attamen nos licebat loqui ut locuti simus : ea via est quæ ad illam veram ducit philosophiam ; ea nondum comparata, verior dogmatimus ille est quem proponimus quam alii dogmatismi, quod equidem demonstrasse credimus (Vid. nostrum « Essai critique sur le droit d'affirmer. »

## § 3.

Denique pauca de elementorum rationalium ad entis ideam reductione dicenda sunt. Nobis in animo non est neque balmesianam reductionem examinare, neque alteram quamdam, quæ nobis placeat, afferre. Balmesiana quidem reductio haud spernenda est, ac quæ de ea dicit materia inter se satis apta atque connexa esse animadvertimus. Quod vero voluit, non est assecutus : reductionem enim quamdam tentabat, at *historiam* potius quamdam scripsit. Aliud agere sane non poterat, quando nulla nostrarum idearum in alia qualibet reapse continetur, nihilque nisi ordinem indicare possumus secundum quem, alia nata, alia deinde nascatur. Quod in idea hac novi est, in illa non erat ; scire numquam est ideam quamdam ad aliam quamdam reapse redigere. Rationis ergo unitas, diversitatis cujusdam unitas est, quod vero necessarium est ut res, inter se quidem diversas omnes, cognoscere possimus. Diversitatem rerum contemplari, hæc scientia est ; *abstractorum* principiorum aut *concretarum* rerum ordinem verum contemplari illud est in quo intellectionis jacet unitas. Ut nullum analyticum est judicium, ita nullum judicium ad aliud quoddam redigendum est. Quæ cum ita sint, ratio nobis mirabilis creatura videri debet, quippe quæ, quotiescumque novam cogitat ideam, eam reapse creet ipsa !

In primo hujus partis capite dogmatismi veritatem ostendebamus, quam confirmare deinde voluimus ; sed nusquam forsitan validiorem præstitimus confirmationem quam in hoc capite, quo probatur rationalium ele-

mentorum unitas, quo simul demonstratur omnia elementa ea *circa entis ideam quasi ferri*, existentiæ ideam in ratione contineri ipsa, rationalium vero elementorum tantam esse diversitatem quantam eam esse scientia, sive in se considerata sive *objecti* (quod diversitatem in se ipso admittit necessario) respectu requirit, mentem denique nostram creatricis nomine omnino dignam esse (1).

1. Creatio activitatum omnium maxime activa est, si ita loqui conceditur ; mentem activam esse debere demonstravimus ut ejus pretium id sit quod vult dogmaticus quisque. Ac quo subjectivismo, in eo quod ad phænomenalis mundi cognitiones attinet, magis adhæres, eo minus necessarium est tibi, dogmatismi patrocinium suscipere volenti, res in ipsis earumque activitatem propriam considerare.

# CAPUT VII

## DE OBJECTIVÆ COGNITIONIS SUBJECTIVA ATQUE OBJECTIVA POSSIBILITATE

Rationalium elementorum perspecta natura, hic locus est ut ipsam ratiocinantis rationis activitatem consideremus ac quæramus num, dum suo fungitur munere, in se ipsa inveniat ratio nostra unde veras esse scientiam et metaphysicam quas ædificat, credere jure possit; deinde autem num ea sit, ad quam pervenit, rerum in se notio, quæ res *cognoscibiles* in se esse demonstret. Hæc quoque tentavit noster.

### § 1.

Nonnullæ sunt in metaphysica ex omni parte perfectæ demonstrationes ; exempli causa cum dico : « Ens est ; si unum omnino est, Deus illud totum est, cum Enti illi conveniat Absoluti nomen ; si mundus qui existere vulgo putatur existit : cum absolutum ens dici non possit hic, et mundus et Deus existunt ; si ergo mundus hic non existit, Ens existit tamen quod Dei nomen merere certum est. » Suntne in physica omnino perfectæ demonstrationes quædam ? Hoc ignoramus cum impossibile sit experientiæ ope eam perfectionem recognoscere. Sintne

in mathematica saltem ? Hoc olim credebat mathematicus quisque ; nunc autem de multis dissentiunt inter se ; nonne alioquin mathematicus quidam dixit nihil esse geometriam nisi « spatii physicam » (1) ? Nonne philosophus quidam demonstravit numeri notionem ad extensionem sive, aliis verbis, ad τὸ geometricum redigendam esse (2) ? Itaque, si physicam in dubium quodam modo jure revocas, et ipsam mathematicam jure revocare potes — Quidquid id est, in metaphysica saltem sunt ex omni parte perfectæ demonstrationes ; ergo metaphysica saltem *objecta* (quippe quæ una *objectorum* seu *realitatum* nomen vere mereant) a parte subjecti *cognoscibilia* sunt. Atque addamus in metaphysica non requiri, ut alias, experimentales confirmationes.

Alia autem nunc dicenda sunt quæ hæc confirmabunt. Scientiam ac metaphysicam fere eorumdum principiorum auxilio exstruimus ; at in eo non est unde pro altera quamlibet alteram spondere credamus ! Ubique in experientia τὸ a priori deprehendere potes ; quin etiam, sensationum ipsa qualitas e conscientiæ nostræ essentia gignitur, atque, ut dixit Cournot, τὸ posteriori, in imo, a priori est. Quæ cum ita sint, dum quod a posteriori τοῦ a priori formam accipere videtur, nihil aliud in nobis agitur nisi hujus modi aliquid : quæ inter mentalia elementa maxime indeterminata sunt, suam ipsorum formam iis quæ minus indeterminata sunt imponunt (Conf. cap. IV) ; cum vero omnia pariter a priori sint, nec ideo *objecta* sint extranea quædam quæ considerare oporteat ad ea cum nostris cogitationibus comparanda, cum alio-

1. Hæc sententia Professoris Blondel est, qui mathematicas in nanceiana Scientiarum Facultate docet.

2. Bergson : « Les données primitives de la conscience. »

quin quæ a posteriori dicuntur ea sint profecto quæ cum experientia maxime congruunt (sunt enim, partim saltem, experientia ipsa), inde sequitur humanam scientiam, quotiescumque re vera « *normalis* » dici potest, absolute bonam esse. Phænomenon τὸ « esse » eorum τὸ « percipi est » ; dum ergo, scientiam nobis ædificantibus, evenit ut sententia nova quædam antiquiorem vincat, hæc non falsa quidem declarari debet. Quid vero ? Nova melior sane est, sed prima, si logicæ consentanea erat, tantum, phænomenon respectu quæ cognoscebantur, valebat, quantum nova, phænomenon respectu quæ tunc cognoscuntur ; cognitionum ergo optima ea est quæ cum experientia maxime congruit ; sed quæ cum imperfecta experientia jam congruebat ac logicæ consentanea jam erat, cognitionis nomine jam erat digna : numquam obliviscamur experientiam pro interna re semper habendam esse, meminerimusque ratiocinationem quamlibet pro quodam intellectuali experimento reputandam esse : quod « logicum » appellatur, cujusdam interni experimenti gratia nomen hoc meret. His autem auditis, non dices nos scientiam parvi ducere ; adde huc nos ut Balmesium eam pro vera habere, sed quia eam quodam modo totam a priori esse putamus, quo usque adire haud dubitantes.

Eane tamen sunt scientiæ principia conclusionesque ut scientiam pro metaphysica et hanc pro illa spondere posse credamus, metaphysicæque illi fidamus quæ super scientiam fundetur ? Minime. Primo enim loco, ut ejus modi virtutes (ut ita dicamus) in scientia essent, æternas atque immutabiles scientiæ veritates esse oporteret, quod non admittitur ; quin etiam, ut scientiæ et metaphysicæ inhæreant eæ virtutes, eodem modo cum metaphysicis

rebus et cum phænomenis congruere rationalia elementa quæque oporteret ; sed, ut diximus, causæ substantiæque ideæ atque hujus modi ceteræ sola cum entis idea reapse congruunt : quod si ergo scientiæ bene procedit illud quod agit ea, dum per rationales ideas phænomena explicat, merum accidens est : experientia est (internam externamque intelligas) quæ pro scientia unice spondet. — Præterea, plura in scientia deprehendas quæ nullum in metaphysica sensum habeant, nec ei probentur; inductionis enim principium, quod ad physicam unice pertinet, sumas : dum id verum esse affirmas, fixas esse phænomenon essentias declaras ; aliis verbis, identitatis principium usurpas, metaphysicum ei sensum quemdam tribuis et ad illud quod non est (phænomeni enim idea, entis idea est simul *affirmata* et *negata*) aut quod, si est, semper mutatur, id accomodas ; quod vero tibi non licet. Ut pro legitima ducatur scientia, primum tibi metaphysica est obliviscenda. — Denique plura in scientia sunt quæ, quamquam a priori, scientiæ non omnino necessaria videntur ; sumas enim spatium tribus dimensionibus determinatum : num necessaria est notio hæc ad scientiam perficiendam ? Nonne satis est de quadam « exterioritatis forma » loqui (1) ? Ergo inter elementa a priori scientiarum nostrarum, ejus modi sunt quædam, hactenus saltem, quæ secum certitudinem perfectam non ferant ; ea quidem ratio, etiamsi sola sit, sufficiet ut dicamus : metaphysicæ si studere cupis, scientia primum tibi obliviscenda est. — Concludemus igitur neque scientiam pro metaphysicæ quasi procemio aut prima parte, neque veram metaphysicam pro scientiæ quasi perfectione, ha-

1. Cf. « Revue de métaphysique et de morale, mai 1898. Conturat : Essais sur les fondements de la géométrie. »

bendas esse. — Ceterum, nihil commune est inter cogitationes nostras quæ ad maxime *abstractas* scientiæ veritates pertinent aud id quod in aliorum hominum conscientia agitur, et illas quas « intuitiones puras » seu metaphysicas vocat noster : metaphysicæ possibilitatem sic deterrime probat ; quin etiam, si phænomenis indigemus ut ens concipiamus : ente semel concepto, phænomenon oblivisci nos oportet ; iis enim neglectis, verba « ens », « identitas », « causa » et hujus modi cetera non tantum sensum quemdam tandem habent, sed tunc demum omni vacant contradictione ; ne dicat ergo noster phænomenon existentiam necessario agnoscendam esse, experimentalem cognitionem scientiamque phænomenon pro « realium » rerum cognitione jam habendas esse ab eo qui verbis metaphysicis sensum quemdam attribuere velit. Hunc mundum non necessarium esse addas, nec eum a τῷ a priori deducere potes : quamobrem ne contendas ea quæ « *facti veritatis* » vocas, primum credendas esse ut « ideales veritates » cogitari possint. Eadem de causa ne credas tibi, dum « ideales veritates » cogitas, hoc ipso « experientiæ veritatibus » adhærendum esse ut vulgus adhæret.

§ 2.

Ut objectivæ cognitionis totius subjectivam possibilitatem demonstraret Balmesius, strictissima vincula esse inter τοῦ a posteriori cogitationem et τοῦ a priori cogitationem prædicabat ; ut objectivæ cognitionis objectivam possibilitatem demonstret, quæ sit mundi natura considerat, mundi autem cujus natura cum balmesia-

næ philosophiæ principiis congruat. Vehementer equidem erres si Balmesium vetes, quadam de mundi natura jam exstructa doctrina, mundum hunc in se *cognoscibilem* esse demonstrare niti ; hæc synthetica via est : qua neglecta, analyticam viam pro absolute tuta ne habeas. — Primo loco, Balmesii demonstrationem sibi satis constare concedemus ; at ipse, dum substantias alias in alias agere affirmat, actiones tamen « transitivas » non eas esse putat quæ intelligi re vera possint : hic enim jacet maxima difficultas, quam vero nemo superabit qui omnia una cum Deo ipso esse negaverit. Actio enim transitiva quælibet,ut Secretani sententia est, plane inintelligibilis est. Si igitur res *cognocibiles* esse volumus, rerum cognitionem per rerum, in mentem nostram, actionem quamdam (cujus ope mens ad sentiendum et ad cogitandum impellatur) explicare debemus ; at actio ea, si non absurda ejus notio est, res quodam modo in re una existere demonstrat. Quo enim modo res a rerum principio « in quo vivimus, movemur et sumus » separari possint ? Estne ea doctrina pantheismus ? Absit ; nam unitatem prædicare, non omnia miscere est ; atque dum de rerum unitate loquimur, res non destruimus : qui enim de plurium rerum unitate loquitur, plures esse eas non necessario negat. Res ergo, si existunt, aliæ in alias agere possunt, ac peculiariter in rem eam quæ nostra mens est ; sed *apud Deum* agunt qui in res agit omnes.

Ea quidem sunt quæ diceremus si, ut metaphysici plerique, phænomena e rerum in mentem actione gigni putaremus ; eadem vero dicemus, paucis equidem ademptis, ad nostram, quam alias exposuimus, doctrinam regressi. Scilicet, *in absoluto*, seu *citra conscientiam nostram* creatæ substantiæ aliæ in alias agunt et in omnes Deus ;

at phænomena phænomenonque scientia substantias haud requirunt quæ in nostras mentes directe agant ; inde sequitur possibilitatis cujusdam objectivæ quæstionem, in eo quod ad nostram phænomenon cognitionem attinet, ne proponi quidem debere (1). Quod vero ad substantiarum, *objectorum* nempe ipsorum cognitionem attinet, objectivæ possibilitatis quæstio proponenda est, et ita solvi potest ut maxime dogmatico viro solvenda videri debet. Addemus quoque nos non tantummodo in Dei natura perfecti invenire unde dogmatismum illum, qui menti humanæ quasi innatus est, defendere possimus, sed cognitionis objectivæ objectivam possibilitatem hoc etiam confirmari quod rerum objectivam diversitatem affirmamus ; penitus enim diversæ cum sint, a nobis in quibus nulla nisi synthetica cognitio deprehendi potest, cognosci queunt.

## § 3.

Experientiæ possibilitas a *cogitante subjecto* apud Kantium repetebatur, qui primum quærebat quænam essent experientiæ scientiæque et ethicæ subjectivæ conditiones. Quam vero quæstionem silentio fere prætermittit noster qui primum quærit quo fiat modo ut ratiocinari curet ratio nostra ; ratiocinatur, ait, quia existere res quasdam jam opinatur. Hic equidem non ex omni parte errat noster ; sed tam multi sunt existentiæ modi quam metaphy-

1. Hæc ergo veritatis definitio, nempe « adæquatio rei et intellectus » ad metaphysicam tantum, non autem ad scientias pertinet. Omnes eæ sententiæ enodatius in nostro libro cui titulum est « Essai critique sur le droit d'affirmer » explanantur.

sica systemata quæ excogitare possumus ; nihil ergo hac balmesiana sententia magis vacuum, nihil sterilius. Quod vero præsertim affert, diximus : rerum existentiam necessariam esse judicat ut mens ad sentiendum et ad cogitandum moveatur. Nonne hoc est kantianam quæstionem mutare ac depravare ? Quo autem modo eam ipsi solvamus, abunde jam dictum est.

Denique circuli crimen Balmesio non afferemus, quod nonnulli forsitan desiderabunt. Dogmaticum enim quemque decet quærere num τὸ a priori et τὸ a posteriori inter se congruant, ac num res necessario ita concipiantur ut *cognoscibiles* appareant ; nam, si legitimus dogmatismus est, inter se ideas nostras omnes concinere (1) a fortiori certum est : quod vero dogmatismi veritatem *confirmat*, non autem *probat* ; ejus tamen modi confirmationes tentandæ sunt, si dogmatismum immodicum vitare in animo habemus : periculum istud non vitavit noster ; nos autem vitasse putamus.

1. Ideæ autem nostræ non eo modo concinunt necessario quem sensus communis iique qui sensui favent communi prædicant.

## CAPUT VIII

QUO BALMESII DE « TRANSCENDENTALI SCIENTIA » ET DE « COGNITIONE PER IDEALITATEM » PENDITUR DOCTRINA ; AC QUO, SCIENTIÆ ET IDEARUM HUMANARUM NATURA PERSPECTA, DOGMATISMI PRO CAUSA ULTIMUM QUODDAM AFFERTUR ARGUMENTUM

Duæ denique inter se connexæ quæstiones dogmatico tractandæ sunt, ut dogmatismi perficiatur confirmatio : quisnam sciendi modus reapse humanus sit, ac quænam idearum sit natura quæ scientiæ quasi materia sunt ? Si enim ita solvuntur ut certum sit modum illum hancque naturam ea profecto esse quæ exigit dogmatismus, quænam dubitandi causa nobis hinc jam succurrere possit? Nostro quidem videtur neque homini possibilem neque rationi ipsi consentaneam esse « transcendentalem scientiam », neque aliam natura possibilem nec dogmatico aliam optandam esse cognitionem nisi quam « per idealitatem » vocat ; ac dum ea tractat, dogmatismum defendere putat. Nos vero quæstiones ab eo propositas haud negligendas esse arbitramur, sed aliter ac Balmesius solvimus.

## § 1.

Multæ doctrinæ quibus « realismi transcendentalis » nomen, omnisque doctrina cui « idealismi transcendentalis » nomen convenit eo scientiæ genere continentur cui « scientiæ transcendentalis » nomen indit noster ; hoc enim usurpat vocabulum quotiescumque systema quodlibet considerat in quo omnia ab uno deducuntur principio. Hoc equidem satis mirum ; at eo vocabulo forsitan utitur quia ejus modi deductionem humanæ mentis vires excedere æstimat.

Balmesium non vituperabimus dum ita aut fere loquitur : si quædam de humana cognitione doctrina ea est, qua considerata, fieri non posse videatur ut homo ad sententias non adeat quæ sibi singulæ contradicant, aut inter se pugnent, aut etiam quæ ad scepticismum mentes nostras necessario ducant, ejus modi doctrina quævis a priori rejicienda est ; ita enim de certitudine ac de principiorum veritate primum disseruit ut sic loqui jure possit. Attamen dubitamus eas errandi causas in hac quam transcendentalem vocat scientia quasi contineri : quippe, nec demonstravit nec demonstrare potuit noster ad subjectivismum vel ad pantheismum vel in finem ad scepticismum, scientiæ hujus transcendentalis fautorem quemque necessario devenire. Quis enim philosopho cuilibet, quem, si ita tibi placet, a τῷ subjectivo *facto* quod verbo « Cogito » exprimitur, proficisci fingemus, interdicere audeat ne qua *objecta* re vera existere affirmet ? Ipse quidem Balmesius, fere iisdem ac nos verbis, interdum contendit hujus modi affirmationes inter cogitationes nostras deprehendi posse.

Atque si « transcendentalis scientiæ » fautor quisque et pantheismo favere deberet, hoc ipsum de metaphysico quoque, de eo præsertim qui Dei existentiam agnosceret, dici posset : eo enim majorem Dei naturam fingis, eo res Dei respectu minores facis. Denique, eritne necessario scepticus ille qui, in suam ipsius mentem introspiciens, quærit quænam sint quæ in dubium revocare numquam possit ? Quod vero imprimis reformidat Balmesius, idealismum nomen habet : at sitne a priori certum, nullum existentiæ modum possibilem esse nisi quem vulgaris prædicat dogmaticus quisque ? Non ergo sunt in ea scientia quam contemnit noster, pericula quibus tam sæpe alludit.

Cum vero transcendentalis scientia, scientiæ totius quasi ruina nostro videatur, magna illi voluptas est dum invenisse putat unde scientiam illam a nullo homine ædificari posse demonstret. Namque, si consistat illa in hoc ut veritates omnes ab una deducantur, nulla quidem veritate *medii* partes primum suscipiente, impossibilis certo sit transcendentalis scientia ; Fichtei enim τὸ X, licet id X in empirica conscientia non sit, *factum* quoddam est, in quo generalissimum scientiæ principium, cum *facto* hoc strictissime conjunctum, plane continetur ; criterium ullum frustra hic quæras ; quid autem refert ? Quidquid id est, τοῦ ego existentia atque principii generalissimi veritas, fichteanæ intuitionis ope, extra fines ponuntur intra quos dubitare hominibus licet ; iisque simul positis, habet Fichteus ea quibus eget ut scientiam exstruere possit. Ergo a principio uno proficisci potest philosophus, nec simul id esse principium a quo nihil desumi possit. Ceterum, unitatis verbum non idem significat atque verba hæc : « absoluta paupertas » ; nam, ut

aliud sumamus exemplum, nonne omnia quæ super τὸ « Cogito » fundat Cartesius, in τῷ « Cogito » jam in potentia continentur ? Imo, injuria philosophum vetes logicæ auxilio prius uti quam logicæ leges veras esse demonstret : dum enim Cartesius methodi suæ regulas ante enuntiat quam ad τὸ « Cogito » deveniat, ac Ficheus ante τοῦ X *positionem* jam ratiociocinatur, quid aliud quam quærunt firmum quod optant principium ? Principium vero non proprie demonstrant ; ante enim positum principium, omnia præparationes tantum sunt ; igitur, constructa domo, tabulationem oblivisci possunt, quæ quidem necessaria fuit, sed jam non est cum per se stat domus. Ne dicat ergo Balmesius nec possibilem nec quæ certitudinem afferre possit, « transcendentalem scientiam » esse.

Aliæ vero causæ sunt cur scientiam eam tantopere reformidet noster. — Nos ab ideis tantum proficisci vetat, quia timet ne omnia necessario fieri putemus ; non autem animadvertit in imo argumento quoque « ontologium argumentum » inesse, nihilque impedire quin, si ex ideis quibusdam mundi hujus existentiam deducamus, contingentis aliquid in eo esse tamen admittamus. At enim, ab ideis *reale* nihil deduci potest ! Quid vero ? Quid nos a priori certiores facit nullum, nisi quem prædicat Balmesius, existentiæ modum possibilem esse ? — A *factis* tantum proficisci vetat quoque ; nonne vero maxime *abstracta* principia pro nostræ mentis *factis* reputanda sunt ? — A re quadam denique proficisci vetat, cum, ait, ad metaphysica a *factis* principiorumque auxilio tantum perveniatur ; ita sane plerumque est, sed quis nos vituperabit si, ab hypothesi quadam profecti, rerum omnium rationem reddere potuerimus. — At hypotheses reformi-

dat ille qui non intellexerit nullam exquisitionem esse cui non fuerit initium hypothesis quædam. Quænam sit inductio cujus deductio quædam principium non fuerit ? Ante enim quam a *quibusdam* ad *omnia* transirem, existimavi, a principio quodam generalissimo profectus, illis inesse essentiam quæ ceteris ejusdem generis entibus inesse quoque deberet. Quænamve deductio cujus hypothesis quædam initium non fuerit ? — A quibusdam pro veris reputatis principiis proficiscendum esse contendit ; quantum autem errat ! Mentis enim nostræ *factum* quoddam est certitudo, quæ exquisitionum nostrarum quasi merces potius est ! — Solus Deus omnia in una idea contemplari debet magnumque periculum est ubi homini nimia tribuitur potestas ! Ad hoc ita respondemus : Si potest homo verum assequi, idem verum atque Deus assequitur ; ne ergo Balmesius Deo eum sciendi modum tribuat qui, ut demonstravimus, scientiæ totius ruinam secum trahat. — Unum vero præsertim mirari nos oportet : « idealismi transcendentalis » principium minime intellexit ; ut enim kantianam « experientiæ possibilitatis » quæstionem in aliam detraxit partem (Conf. cap. VII, § 3), ita animo non percepit quam ostendit Kantius distinctionem inter omnis cogitationis formam et materiam ; quapropter non intellexit exquisitionum genus illud a Kantio inventum, admodum esse dignum quod omnibus philosophis curæ sit. — Omnes autem doctrinas quas refutare cogitavit noster defendere non molimur, sed eas prave interpretatum esse nostrum contendimus ; quod ostendere, operæ pretium erat.

Nunc equidem, nullam deprehendi posse contradictionem, nullum periculum timendum esse in eo quod « transcendentalem scientiam » vocat, demonstravimus « scien-

tiæque transcendentalis » nomen nonnullis philosophiæ systematibus merito dari, aliquid denique transcendentalis in humana quaque exquisitione inesse. Quæ cum ita sint, eumdem scientiam exstruendi modum humanum esse et rationi consentaneum plane ostendimus. Attamen (1), ut in nostro libro cui nomen « Essai critique sur le droit d'affirmer » inditur, demonstravimus, non errat omnino qui contendit hominem uno adspectu omnia animo capere niti non posse quin simul in contradictiones quasdam incidat ; hoc pro Balmesio dicatur ! Addamus vero illud non impedire quin legitimæ sint ac solvi demum possint eæ contradictiones : quæ autem breviter explicemus. Cogitata *facta*, principia quædam conscientiaque ea sunt quæ cogitationum nostrarum vel pauperrima (si ita loqui licet) continet : cum vero æque principalia sint, æquo jure empirismum, dogmatismum atque criticismum legitimos esse putabis. Primus hinc scientiæ uni, illinc autem materialismo favere videtur ; secundus autem, qui intellectui primas defert partes, ad illum quem « spiritualismum concretum » vocamus, facillime philosophos ducit : tertius denique, a τῷ « Cogito » exorsus, « idealismum transcendentalem » potius suadet. Quid vero agemus, cum scientia atque metaphysicæ omnes inter se pugnabunt ? In præsenti equidem scientiæ statu, etiamsi scientiæ esset hanc aut illam metaphysicam accipiendam esse declarare, non videmus cuinam metaphysicæ potius favere posset scientia ! At in metaphysicæ locum succedere manifesto vult scientia. Fingamus autem nihil esse scientiam nisi quemdam mentis spontaneum

1. Hic perficiuntur et enodatius explicantur quæ diximus in VI° hujus partis cap. § 2.

quasi « *gestum* », atque idem de metaphysicis iis dicamus qui plus minus *factis* nituntur (addas quoque principiis quæ usurpat dogmatismus et τῷ « cogito » unde proficiscitur criticismus, *factorum* nomen jure indiri) ac phænomenalis mundi rationem reddere somniant. Quid sequitur ? Omnes ii mentalis activitatis modi æque legitimi esse statim ac necessario videntur. Nec audeat quis de contradictione loqui, cum ratum sit nullum *objectum* existere quod scientiæ metaphysicæ criticæque commune dici possit ! Aliis verbis, phænomena, sive, ut loquitur Parmenides, τὸ non-ens, scientiæ objectum est ; metaphysicorum vero eorum qui Parmenidis doctrinæ non assentiunt *objectum*, ens quoddam commenticium est, de quo disserere tamen licet, cum hoc nobis naturale prorsus sit ; « idealismi transcendentalis » denique *objectum* totius scientiæ forma est, intellectualium nempe phænomenon quorumdam quæ ipsa ad τὸ non-ens referenda sunt ; idem brevi dicamus, si omnes eos sciendi modos et alios ab aliis et ab *objecto* quolibet independentes esse declaremus : ceterum rei cujuslibet explicatio sese ad rei perceptionem ant potius cogitationem *addit*, nec per ullam rem, ut jam diximus, ulla explicatur res. Attamen metaphysica quædam est, quam semel ac sæpius in hoc opusculo adumbravimus, cujus ope plura de ente quod re vera existit, perfecte cognosci possunt. — Ea demum est humana scientia, quod ad rerum universam cognitionem attinet ; « transcendentalis » sane est, idque pluribus modis, at rationi tamen absolute consentanea; quin etiam, dogmatismo adeo favet hæc nostra (si ita loqui licet) Critica, ut æque, sed suo cuique modo, et in scientia erudito viro pluribusque inter se penitus differentibus philosophis dogmaticis esse licentiam det : nullum humanæ

mentis naturalem *gestum* contemnit ea Critica quæ tamen veri absoluti possessionem sibi, sibique soli vindicat. Non est ergo unde timeamus ne forsitan erret qui suo naturali atque spontaneo credulitatis instinctui fisus erit.

§ 2.

Quod verbis « cognitio per idealitatem » significat noster, satis clarum est. De ea vero pauca dicemus, cum hic non expediat totam, ad quam redit, Scholasticorum de cognitione doctrinam perpendere ; ceterum, doctrina hæc tota pendet ab eorum de ente doctrina (1) ; ea autem admissa, mentis activitas admodum negatur. Quid est hæc *subjecti* et *objecti*, quam negat noster « identitas » ? Nonne eadem est quam ejus adversarii plerique negaverunt ? Quid autem « identitas » illa quam somniat ? mera similitudo quædam, quam esse *postulat*, non equidem demonstrat. De « causalitate » dum loquitur, cognitionis humanæ Deum unam esse causam credere videtur, quod autem alias Balmesio satis esse non videtur ut dogmatismi confirmetur veritas. Dum vero contendit « sui ipsius repræsentationem » non esse posse quamlibet ideam, res idearum ope cogitari se putat demonstrasse : inde autem æque effici possit ut psychologia vana quædam sit scientia : si enim idearum nostrarum nullam repræsentationem habere possumus, mentale *factum* quodvis effugiet eum qui hujus modi quid, adhibita « reflexione », prehendere

1, Hæc non pugnant cum illis quæ in hujus libri parte posteriore, cap. I°, de Scholasticorum doctrina diximus.

conatus erit (1); ac psychologicis *factis* semel ad nihilum redactis, cetera phænomena evanescent et ipsa, nomenque « non-entis » reapse atque unice merebunt. — Cur autem idearum natura, ubi eam ut decet consideramus, statim pro dogmatismo quasi dicit? Phænomeni idea, ut iterum atque iterum demonstravimus, contradictoria est, quod vero non impedit quin τοῦ non-entis seu phænomenon scientia legitima suo sit modo ; quod autem ad ens pertinet, idea qua cogitatur adeo illud existere demonstrat ut, dum ens cogitatur, non tantum ejus notio se ipsam non destruat (quod vero agit phænomeni, seu « entis quod non est » idea) sed etiam tamquam a nobis minime pendens (si ita loqui licet) ens se ipsum *ponat* ! Dum ens cogitatur, ens se ipsum in nobis quasi *ponit* (2). Certitudo autem, quæ cogitationes nostras interdum comitatur, id reapse est, ut initio dicebamus, quod pro mentis humanæ spondet excellentia.

Nunc omnes quæ dogmatismi *confirmationes* vocari possunt, percensuimus, sed omni ope nisi sumus Balmesii immodico dogmatismo fines imponere. Verum nostri doctrinam minus refutavimus quam emendavimus atque perfecimus ; plura tamen professi sumus quæ valde perhorruisset noster, quamvis recentes accuratius legisset quam ut Scholasticæ plane adhærere tamen posset.

1. Dum quamvis ideam prehendere conamur, nihil aliud prehendimus nisi hujus ideæ ideam quamdam, et ita usque ad infinitum. De hoc vid. nostrum « Essai critique sur le droit d'affirmer ».

2. Cf. cap. VI, § 2 et cap. VIII, § 1.

## CONCLUSIO

Adeo enodate, ut nobis equidem videtur, balmesianam de humana verum assequendi facultate doctrinam exposuimus et quæ apud nostrum merito desiderentur diximus, ut nunc paucis verbis concludere possimus. Quidquid id est, balmesianam doctrinam breviter complecti ejusque naturam finire nunc decet, nec non de nostri ingenio plura dicere et e nostro hoc opusculo colligere quæcumque aliquam hujus ætatis philosophis utilitatem afferre possint.

### § I.

Quæ ad certitudinem pertinet quæstio, quæstio una e multis videbatur Scholasticis : eam vero primam esse quam tractare oporteat, judicat noster, quod cartesianum admodum est. Scholasticorum de certitudine doctrinam *implicitam* si consideraveris, eos naturalem instinctui illi quem « credulitatis » vocamus fidem nostram plurimi fecisse videbis : quam doctrinam apud Balmesium *explicitam* factam esse perspicuum est. Illi equidem *explicite* de certitudine et de cognitione plerumque disserunt tamquam rationi non plurimum tantum, sed etiam unice confisi sint ; Balmesius autem, licet conscientiam, rationem sive evidentiam, instinctum denique hunc

quem « intellectualem » vocat sive etiam « communem sensum » pro totidem instinctus formis (si saltem ejus sententiam penitus perspexeris) habeat, majorem majoremque, quamquam invitus, in sua doctrina rationis partem facit. Scholasticis videbatur certitudo quasi « cognitivarum facultatum proprietas quædam », nempe « suum ipsarum *objectum* contingentium », certitudinisque origiginem a rebus potius repetebant ; apud autem nostrum certitudo pro reapse mentali *facto* quodam habetur ; quo vero illud pertinet, nisi ut psychologia philosophiæ totius initium constituatur, quod recentibus probatur plerisque ? Præterea, omnia probare niti nec circulorum pudere Scholasticorum proprium erat ; noster autem certitudinis humanæ excellentiam *non probandam* esse existimat ; imo mavult, ut decet, nobis nos sponte dogmaticos esse ostendere ; quo facto, inutile fit alia argumenta quærere, quæ totidem sophismata, nihil autem aliud, sane sint ; hæc Scotorum quoque doctrina est. Sed illi necessarium quoque videtur omni ope niti dogmatismum illum humanæ innatum menti *confirmare*, ne forte redeat scepticismus : hanc equidem methodum non forsitan excogitavit primus, at pauci usurpaverunt, nulli vero ut ipse. Omnia quæ de certitudine iis quæ hactenus exposuimus addit, *confirmationes* nec *probationes* sunt, quod animadvertere imprimis oportet.

Veri criteria et ipse esse credit, tria vero tantum, quo Scholasticos superat qui rursus eum superant dum evidentiam « supremum criterium » vocant. *Facta*, ait, a conscientia dantur, subjectiva evidentia e ratione gignitur ac quod ad objectivam existentiam pertinet, ad « instinctum intellectualem » sive « communem sensum » (ne autem legas « communem consensum ») referri debet ;

horum criteriorum unumquodque, si solum compeximus, statim evanescit; cetera enim criteria vera esse postulat unumquodque, nec tamen ad ea quæ vera esse postulat, redigi nullum potest : hic noster sui ingenii acumine multos sane antècellit. — Nec jam apud eum tam multas mentis facultates invenies quam apud Scholasticos : quas admittit, pro totidem conscientiæ quasi partibus habet, quod inter recentes permulti profitentur. Scholastici mentis totam activitatem sive ad corporis nostri, sive ad extraneorum corporum, sive ad animæ nostræ naturam, sive denique ad Dei in nos actionem vicissim, tamquam ad totidem causas, referebant; at Balmesius mentis activitatem ad mentis essentiam primum refert et in *cogitante subjecto* quidnam pro cognitionis objectivitate spondeat quærit. *Objectorum in se* sumptorum tamen actionem, Deique ipsius voluntatem repetit ut hinc quomodo ad sentiendum et ad cogitandum stimuletur mens nostra explicet, et illinc extranearum virium earum quæ in nos agunt rationem reddat nec non consensus illius quem inter omnia *cogitantia subjecta* existere constat. Duas hic profert Balmesius sententias quæ numquam Scholasticis neque Novis-Scholasticis placuerunt, mentis ipsius activitatem a dogmatico quoque primum agnosci debere, conscientiamque solam ipsi sibi primum *dari* ac proinde ex ipso *subjecto* gigni debere certitudinem ; animadvertas tamen eum ad quemdam delabi dogmatismum qui eorum fere est a nobis « éclectiques » gallice vocatorum.

Verbum « innatum » reformidat ; agnoscit tamen innata quædam in nobis esse, quæ nova apud Balmesium dogmatismi confirmatio est ; sed, ut decet, non putat noster eo ipso dogmatismi veritatem demonstrari : quæ enim

conditio ad eam veritatem extra fines in quibus dubitare licet ponendam sufficiat, ille internus impulsus est quem sui initio operis conspexit. Hoc recentibus quoque placere potest. Verum, dum entis ideam extensionisque intuitionem in nobis ante omnem experientiam esse dicit, quid agit nisi Kantium prope accedit. At credidit se non posse cognitionis humanæ excellentiam prædicare et synthetici quid in nostris judiciis esse accipere : scientia enim illi videtur mera *reductio* esse posse, cum scientiam perfectam in hoc sitam credat, ut omnia in una idea conspiciantur, et ideas quas paulatim acquirimus pro partibus habeat idearum in quibus, scientia semel exstructa, nostra rerum consistit cognitio : hæc scholastica esse recte putabis. — Sed a Scholasticis quantum abest, dum rationem ens quoddam esse demonstrare molitur, dum eam demonstrationem necessariam esse æstimat, dum, ut entis nomine rationem dignam esse demonstret, rationis unitatem ostendit, dum subjectivam evidentiam separatim considerat, dum denique omnes ideas primas *circa entis ideam quasi ferri* ostendit antequam quærat num hoc ens quod ratio cogitat, ens illud sit extraneum quod cognoscere gestit eadem ratio ! Germanos philosophos, non frustra quidem, legit noster.

Nititur quoque Balmesius naturam explorare idearum prout a priori aut a posteriori vocantur, atque solerter quidnam a priori « veritatibus *facti* » necessario intexatur quærit, nec silentio prætermittit « idealium veritatum » inanitatem, si saltem eas ad *facta* quæ « experientiæ » dicuntur referre quis dubitat ; atque animadvertit scientiæ et metaphysicæ principia eadem esse, neque experientiam neve scientiam neve metaphysicam possibiles esse si evenit ut earum quamlibet in dubium revo

cemus. Addit equidem eam esse rerum naturam quas extra phænomena esse credimus et demonstramus, quæ re vera cognosci possit. Ita Balmesius, totius rationis nostræ cum se ipsa consensum pro eximia quadam dogmatismi confirmatione habet, quod laudibus dignum valde est nec philosophi cujusdam cui, ut Epicteti verbo utamur, ἰδιώτου nomen potius conveniat?—Denique demonstrare conatur Balmesius humanam scientiam in universum sumptam eam prorsus esse quæ rationi probetur (quæ scilicet ad entium principia a *factis* profecta transeat, ac primum *facta*, intellectus principia omnia, triaque a Balmesio prædicata criteria pro cogitandi initiis accipiat) : humana scientia illi videtur bona quia « transcendentalis » esse posse illi non videtur, rationique « transcendentalem scientiam » improbari opinatur. Quid ergo non esse non possit humana scientia quærit quoque noster ; quam exquisitionem ut perficiat, quærit etiam cujusnam naturæ in nobis sit illud quod « repræsentationem » nomen habet ac nihil aliud hoc verbo significari posse contendit nisi alicujus rei repræsentationem ab ideis quas habemus differentem. Hæ quoque nostri sententiæ cum ejus aliis satis congruunt, sed etiam nimis cum scholasticis istis sententiis quas rejicere debuit.

Ita multimodis argumentis certitudinem eam, quæ sponte in nobis nasci arbitratur, ac pro qua « sensus communis » sive « intellectualis instinctus » spondere illi videtur, rationi et ipsi probari demonstrat, et hoc ita ut scepticum esse idem esse atque insanire ostendat.

## § 2.

Nunc autem, iis expositis in quibus modo ad Scholasticos redit noster, modo recentes propius accedit, iisque indicatis quæ primus excogitasse videtur, dicere nitamur quo a ceteris doctrinis maxime differat balmesiana. Primo loco scientiam atque metaphysicam, qua scientia, sicut equidem sentit ille, quasi perficitur, alteram pro altera spondere censet, ambasque pro sensu ipso communi perfectiore facto suique ipsius magis conscio habet : scientiæ, intellectualis instinctus sive communis sensus quasi judex illi videtur, quod vero non impedit quin rationis esse putet humanæ innatum naturæ dogmatismum defendere ac perfecte defendere. Verum ejus doctrinam si, ut ita dicamus, *historice* consideraveris, quid tibi censendum erit? Scholasticis recta veraque videbatur humana cognitio, quod *subjectum cogitans* pro quodam *objecto* inter *objecta* alia habebant, atque his illud « informari » putabant, *objectorumque* naturam repræsentationibus nostris vel simillimam esse credebant; certitudo atque humana cognitio tota per *objectorum* et præsertim *objecti* illius qui Deus est actionem a Scholasticis explicabantur. Plerique autem eorum qui post Kantium dogmatismo tamen favent, omni ope nituntur *subjectum in se*, unumque, aut si mavis omni *objecti* cujuslibet idea sublata, considerare; *objectum* a *subjecto* quasi « informari » putant. Primam vero doctrinarum earum accipere dubitat communis sensus, quia in eo non est tantus dogmatismus! Multa homines celari opinatur ac modice scepticum plerumque se ipsum præbet. Quæ

autem doctrinæ kantismum redolent, plerorumque hominum mentales vires excedunt, id que multis de causis. Quæ vero balmesiana doctrina est? Nostro existere videntur *objecta*, et *subjectum cogitans* pro re quadam habet ; ut res in nos, ita nos in res agere contendit nosque suspicari posse quænam leges phænomena, quin etiam res ipsas regant ; cognitionis principia omnia e cogitandi facultate gigni, impulsusque a rebus acceptos interpretari mentem nostram ita ut de phænomenis et de rebus quamdam generet scientiam quæ rerum ipsarum tamquam imago sit. Balmesii ergo doctrina medium quoddam reapse est inter doctrinas quas pariter et æque aversatur communis sensus, cui alioquin balmesiana ea doctrina, quippe quæ communis sensus sit explicite observantissima, non placere non potest.

Præterea, balmesiana doctrina ea est quæ auctoris ingenium prorsus exprimat : ita enim apud eos evenit qui propter finem alium atque philosophiam philosophari instituunt. Quippe, hoc sibi imprimis proponit, ut æqualium suorum mentes ad catholicam fidem impellat. Cum autem credendi rationes afferre velit, mentis humanæ excellentiam prædicare debet ; hoc equidem maxima cum alacritate agit Balmesius, qui dogmaticus præsertim ut catholicus est. Rationis vero et credere et dubitare proprium est ; igitur, ut dubitandi auferatur causa, rationis sibi ipsi in fide nec non in instinctu quodam, qui in ima sit ratione, aliquid deprehendere nititur quo adversus scepticos uti possit ; ideo ad id quod communem sensum vocat, potissimum confugit : communi favet sensui quia id optimum dogmatismo præsidium esse existimat. At rationis jus vindicare cogitat? Sane ; itaque omni ope nititur dogmatismum humanæ innatum menti, argumen-

tis adhibitis multis, confirmare. Scholasticis doctrinis eum allici constat, sed recentes legit et cum recentibus loquitur : eæ causæ sunt cur nunc ut recentes, nunc ut Scholastici argumentetur, nunc denique quæstiones nonnullas a recentibus propositas, methodi scholasticæ auxilio tractet aut etiam scholastice solvat. Recentes cum Scholasticis conciliare sæpe conatur, maximaque ingenii subtilitate præstat noster, sed adeo omnes idealismi reformidat species ut multo magis quodcumque criticismum redolet quam empirismum ipsum aversetur; itaque, ut Kantii et Fichtei errores vitare possit noster, qui minus Scholasticorum discipulus est quam Novorum-Scholasticorum pater, ad Cartesium sæpissime confugit. At quemnam dogmatismum excogitare potuit, contemptis omnibus fere auxiliis per quæ sola dogmatismo novæ infundi vires possunt, nisi dogmatismum quemdam hujus ætatis hominibus parum utilem, ac iis etiam qui catholicæ fidei subsidium ferre in animo habeant ?

§ 3.

Ne autem asperius Balmesium tractemus ! Multas sane professus est sententias quibus assentire minime possumus ; ac primo loco aliquid esse commune Scholasticos inter et recentes hoc nomine vere dignos negamus. Certudinem quam « moralem » vocant nonnulli non aspernamur, sed neque rationis communem sensum judicem esse patimur, neque extra rationem principium quæri volumus quo niti debeat dogmatismus. Criteria non jam curamus, et mentalia *facta* potius quam mentales facultates consideramus. Ut dogmatismum defendamus, nec analyticam

cognitionem totam esse, nec rerum existentiam causalitatis principii ope demonstrari, nec scientiam et metaphysicam inter se eo modo qui sensui probatur communi necessario concinere, nec « transcendentalem scientiam » impossibilem esse, nec hujus modi alia contendimus ; imo, multo atque longo labore opus esse putamus ei qui legitimæ certitudinis limites terminare velit, eique a pertritis viis longe abeudum esse.

Verum, quidquid id est, quæstionem quæ ad certitudinem pertinet, primam tractandam esse, ut noster putamus, et a quæstione quæ ad cognitionem proprie pertinet, separandam. Certitudinem pro *facto* quodam inter alia mentalia *facta* habendam esse, eamdem philosopho quasi consignandam, nec de ea *probationes*, sed *confirmationes* tantum quærendas esse. Denique, mentis activitatem, innatarum idearum quarumdam existentiam, rationis totius cohærentiam et disciplinarum omnium quas sponte, ut ita dicamus, gignit ea, consensum, totidem res esse credimus, ut equidem noster, quas demonstrare debeat dogmaticus quisque, quippe quæ dogmatismi tamquam necessariæ conditiones sint. Dogmatismi autem prima conditio, quam « sufficientem » dicere audemus, probatione nulla eget utpote quæ naturalis atque spontanea sibi ipsi rationis nostræ fides sit. Fidei hujus, argumenta ea quæ modo indicabamus, quæ quidem in se considerata totidem *probationes* sunt, *confirmationes* tantum vocari debent.

Nihilominus, in iis ipsis quæ apud nostrum laudamus, multa desideramus. Non enim tantummodo credulitatis instinctum ad quoddam rationis principium redigendum esse opinamur (quod equidem non agebat noster), sed nobis videtur, dogmatismum confirmare dum conamur,

certitudinis fines multo angustiores, quodam saltem modo, esse quam putabat Balmesius ; considerato enim *facto* hoc quæ est certitudo, dogmaticos optimo jure nos esse posse arbitramur, sed propter id non putamus dogmatismum illum qui sensui communi probatur, legitimum ex omni parte esse : nam dum cognitionem humanam scrutamur, ejus dogmatismi fines angustiores esse, ut dicebamus, comperimus ; quin etiam, ut reapse, dum cognoscit, mens activa dici possit, omnem omnino cognitionem syntheticam esse debere arbitramur, eamque requiri conditionem ut scientia *entis scientia* sit, quod se ipso *diversitas absoluta* quædam est ; ut scientiam et metaphysicam servare possimus, alteram ab altera quam maxime avellendas esse credimus ; denique recentium philosophiæ systematum naturam eam esse contendimus quæ cum rationis humanæ essentia maxime congruat, nostrasque mentes verum propius duci recentium modico dogmatismo seu etiam criticismo quam ab iis auctoribus quos tantopere amavit invitusque deserebat interdum Balmesius.

Quidquid autem id est, nostri errores ne durius vituperemus quando in eo invenimus unde, sententias ejus evolvendo, eas emendare possimus ; cum autem omnino errat, ne erremus ipsi tamquam hortatur.

# INDEX RERUM

VIDI AC PERLEGI
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
a. d. XIII Kal. Febr. MDCCCC
*Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi*
*Decanus*
A. CROISET

TYPIS MANDETUR
*Academiæ Parisiensis rector*
GRÉARD

Laval. — Imprimerie parisienne L. BARNÉOUD & Cie.

## ERRATA

Pag. 18, lin. 4, ne legas « quæ que », sed « quæque ».
Pag. 22, lin. 2, ne legas « ei », sed « et ».
Pag 41, lin. 16, ne legas « sensitis », sed « sensistis ».
Pag. 44, lin. 6, ne legas « sentendium », sed « sentiendum ».
Pag. 47, lin. 6, ne legas « cogitat », sed « putat ».
Pag. 52, lin. 19, ne legas « pieusa », sed « piensa ».
Pag. 60, lin. 8, ne legas « veritatis », sed « veritates ».
Pag. 61, in. 14, ne legas « manifestatur », sed « manifestetur».
Pag. 70, lin. 1, ne legas « parum », sed « paulum ».
Pag. 73, lin. 26, ne legas « omnes » ante verbum « ceteræ ».
Pag. 82, lin. 21, addas « generationem » post « qualitatum ».
Pag. 89, lin. 5, addas « is » ante « qui ».
Pag. 98, lin. 12, ne legas « at » sed « ac ».
Pag. 100, lin. 24, ne legas « syntheos », sed « syntheseos ».
Pag. 113, lin. 32, ne legas « primitives », sed « immédiates ».
Pag. 131, lin. 25, ne legas « gigni debere », sed « tantum gigni posse ».
Pag. 138, lin. 9, ne legas « syntheticam esse debere », sed « pro synthetica habendam esse ».